Kot

RELATOR EPISTOLARIS

OB

Lublinensem Disputationem, Anno Dni. M. DC XV. habitã, hoc autem primùm anno MDC. XVIII. Caluinianâ fide editam,

CASTIGATVS

A Gasparo Kotowiecki, Custode Ecclesiæ Collegiatæ B. V. Calissiensis, Præposito Richualiensi.

Theologi Lutherani in suâ Confessionis Augustanæ Historiâ.

Non pudet Caluinianos de rebus publicè gestis, quarum manuscriptæ & publicæ testificationes, non apud priuatos modo, sed etiam in Cancellariis Principum extant, tãquam de vetustis & remotissimis mentiri: vt in illis impleatur horrendum illud 2. Thess. 2. Mittet illis Deus efficaciam erroris, vt credant mendacio.

CALISSII,

Excudebat Albertus Gedelius Archiepiscopalis Typographus.

Anno Domini 1618.

AD LECTOREM.

NON elegantiùs quàm veriùs à sancto Augustino scriptum est, verecundiã, atq; adeò vbi res manifestæ cogunt, impudentiam quoque ipsam, obmutescere posse, insaniam non posse. Si S. Doctor, cum hanc sententiam literis ad posteritatis memoriam commendaret, ante oculos habuisset Caluinianos Ministros, disputatione Lublinensi confusos, melius illos depingere non potuisset, ita eos graphicè expresit. Cum enim Anno Domini M. DC XV. Lublini ad disputandum prouocati, à R. P. Nicolao Lancicio Societatis IESV Theologo, destinato ante decem dies tempore, diu multumq; à maximo & nobilissimo hominum consessu expectati, sæpiusq; admoniti, adesse iam, iamq; effluere disputationis tempus: missis tandem è suo cœtu duobus, non aliud respondissent, quàm se ob non datam à suis Maioribus seu Patronis potestatem, ad disputandum venire non posse; tam luculenta Caluinistico nomini inusta nota, quid aliud, quàm densam Defensionum, Informationum, Excusationum, Purgationum, ad abolendum tantum dedecus, hinc inde euolitantium tempestatem, promittebat? Omnem tamen, omnibus aduersariis, plusquam per biennium, verecundia, (si quẽ in profligati pudoris pectoribus locum habet) de Lublinensi Disputatione sermonem, visa est ademisse: ita publicè de ea hiscere ausus est nemo. Impudentiá quoque tam insignis, non est adhuc repertus vllus, qui palam, quod impudentium est, prodito, quo vocandus sit nomine, exporrecto, quo agnoscẽdus sit vultu; ea quæ præsens in illa disputatione spectasset, & audiuisset, allatrare sit ausus. Vt tamen constaret, obmutescere insaniam non posse, excerebratus quidam tenebrio, duos ante menses, in primis huius anni Torunensibus nundinis, epistolarem de Lublinensi disputatione Relationem, è Caluiniana

ana

ana mendaciorum textrina proiecit in vulgus, sed cautè. Ne
enim mendaciorum calumniarumq; conuictus, erubescere
cogeretur; latere (quod omnibus latronibus in votis est) vo-
luit: ideoq; neque suum nomen aut cognomen, neque Typo-
graphiæ, in qua Relatio excusa, locum annotauit vsquam.
Quod ergo agnosci noluerit, ad suos sibique addictos, in gra-
tiam suorum scribens; malæ, & mẽdaciorum calumniarumq;
iustas notas volentis effugere conscientiæ, adscribendum:
quod tamen non tacuerit, insaniæ tribuendum: dum omnibus
Caluinistis & Arianis (qui frequentes Disputationi Lublinensi
interfuerunt) tertium iam annum, tacentibus, hic solus ex o-
mnibus, nocturnus bubo, Lublini se eo tempore, quo disputa-
tum est non fuisse palam professus, informandum nihilominus
sibi de illa Disputatione mundum susceperit: cùm tot adhuc
supersint (in quorum oculis Disputatio illa peracta est,) homi
num millia: & in his Principes, & Proceres Regni, viriq; illu-
stres plurimi, qui negotium Disputationis, vti oculati testes,
bene perspectum habent. Contemni profectò cum sua Relati-
one vesanus Relator potuisset, iustitiæq; Diuinæ puniendus
relinqui: ne tamen cauernicola sorex, impunè sibi arrodere
sacra in domo DEI, licere putet; neue Caluiniani Ministri,
inustum sibi ignonimiæ stigma, curatum hac epistolari Relati-
one iactent: deniq; ne Disputatio nobilis, in totius huius am-
plissimi Regni flore instituta, Caluiniano gannitu impetita,
maneat indefensa; en tibi Lector, Relatorem Anonymum, im-
posturæ & fraudis admonitum, eiusq; Relationem epistolarẽ
(sic enim eam appellat) à Caluinianis, quibus scatebat men-
daciis & calumniis, repurgatam. Nam vt rectè monet S. Da-
masus Papa, posse obuiare malis, & perturbare peruersos, &
non facere; eorum fauere impietati est. Quoniam verò Episto
laris Relatio Prædicantis quatuor continet: Causam detre-
ctati cum Iesuita certaminis: Prædicantium iudicium de Iesu-
itæ Thesibus: Epistolam Iesuitæ vel falso affictam, vel corru-
ptam, vel impiè explicatam: Successum Caluinianorum cum
Arianis

Arianis congressuum: in singulis annotanda sunt aliqua, quæ demonstrent, Relatorem, verum esse Caluinianæ fidei Ministrum, hoc est mendacem, calumniatorem; eiusq; Relationem non aliâ quam Caluinianâ fide dignam. Ad extremum adiicienda sunt, ab hoc malè sibi conscio Ministro omissa, R. P. Lancicii dicta, quibus & Catholicorum dogmatum veritatem, & perfidiam Hæreticorum, quantum per tempus licuit, declarauit, non sine magnâ approbatione illustrium personarum, quæ tunc aderant, etiam à Romana Ecclesia alienarum. Tu lector beneuole diligenter lege, & viue feliciter. Richwalii kalendis Aprilis. 1618.

Causæ ob quas Prædicantes Caluinistæ ad Disputationem inuitati, non venerunt.

CAPVT I.

Sciendum principio est, Relatorem Epistolarem, eorum duntaxat quæ ab aliis relata accepit, Relatorem esse: vnde si malignitas à Caluinismo abest, decipit deceptus. Audi eiulantem. Pag. 2. Relat. Ego (inquit) quod me male habet, tunc temporis Lublini non fui, alioqui spectator & oculatus testis gestorum esse voluissem. *Meritò luges Ministelle, vidisses enim tuorum Collegarum tremorem ac metum, vidisses conscias falsi conscientias, prodire in hominum conspectum, Catholicæ veritati obsistere non audentes: audiuisses fidei veteris noua firmamenta: & enormes tuæ sectæ errores agnouisses. Quia tamen oculatus testis non es, quâ fronte, veram te Relationem euulgare à tuis de disputione certior factus, iactas? Mendacem oportet esse memorem. An non vestræ fidei dogma est, plenis Ministrorum buccis proclamatum, è schola Caluini in vos deriuatum. Neminem vestrum, diuinæ posse legis præcepta implere: Nullam actionem à vobis profectam, mundam esse, sine scelere esse, non esse obnoxiam iustæ opprobrii ac damnationis mercedi. Quis ergo tibi credat ô Relator? Quis te à testimonio falso lege diuina proscripto, immunem? & in scribendo veracem vt diuina lex iubet, quis eos à quibus quæ scribis accepisti, mendaces non fuisse, calumnias non confinxisse, opinetur! Alterum sequatur necesse est, vel*

vt mentiare, ſcribendo, vel vt mentiare, credendo, neminem poſſe, diuinas leges, (quarum vna de vitando mendacio, & de ſectanda veritate) implere. Elige quod placet quicquid elegeris crimen & opinionem mendacis non euades. Audi igitur vel lege, quæ ab oculato teſte ſcribuntur, à te nec audita nec viſa: & falſa, quæ vel deceptus incautè vel decipere volens malignè, ſparſiſti, deteſtare ac corrige.

Lublini percrebuerat, Patres Societatis IESV, ex vniuerſa hac Prouincia ad III, Calend, Auguſti, Anni M.DC,XV, Lublinum frequentes fuiſſe venturos, vt communi conſilio deſtinarent, quibus è medio ipſorum, Romam cum ſuffragio ad nouum Præpoſitum Generalem, in demortui locum ſufficiendum, eundum eſſet. Plures itaque & Procerum, & Illuſtrium virorum, qui tunc Lublini aut ius in ſupremo Tribunali Regio dicerent, aut negotia in iudicio haberent, à Patribus Lublinenſibus poſtulârant: vt ſub Conuentum ſuum Prouincialem more ab Ordinibus aliis in ſimilibus Conuentibus vſitato, Diſputationem de Religione cum diſsidentibus inſtitutam vellent. Negotium ad Præpoſitum Prouincialem qui Lublinum nondum venerat, à Patribus Lublinenſibus reiectum. Patribus iam ad definitum diem in exitu menſis Iulii congregatis, cum Præpoſitus Prouincialis quoque adeſſet, viſum eſt, poſtulatis Magnatum ſatisfacere. Itaque eo primum tempore, non in Iunio, vt tu nugaris, & Theſes ſcriptæ, & is qui eas tueretur admonitus, & paulo poſt, conſulto prius ſupremo Iudiciorum Regni Præſide, per nobilem & eruditum virum Equeſtris Ordinis ornamentum, Dominum Ioannem Korytko, tum Caluinianis, tam Racouienſibus Arianis Miniſtris, publicè in eorum Synagogis theſes porrectæ, ab iis acceptatæ: & ne Miniſtri quererentur ſe imparatos ad certamen vocari, decem dies quibus ſe armarent dati, (nec enim diutius Conuentus ille Patrum protrahi poterat, aut Diſputator Lublini ſubſiſtere, quippe ad Romana negocia electus, iterque Romanum ſtatim ſuſcepturus.) Præmoniti quoque Miniſtri, vnum tantum fore è Societatis Patribus Theſium Defenſorem, quas tamen illorum ſi vellent quam plurimis liceret refellere. Ne verò tergiuerſari poſſent, & Catholicorum metum, in vrbe licet Hæreticis refertiſsima obtendere, ſupplicatum eſt iudiciorum Præſidi viro nobiliſsimo, vt cum autoritate Diſputationi intereſſet, & ne quid aduerſarii pertimeſcere poſſent, prouideret: quod ſe pro officio ſuo facturum & liberaliter recepit, & præſtitit feliciter. Poſt aliquot ab indicta Diſputatione dies, publicè pro concione in loco ad diſputandum electo, Diſputatio futura, & Diſputationis materia promulgata: ſecuritas omnibus qui accederent, & Collegii & ſum-

ni Tribunalis nomine promissa. Cum primus Disputationis dies, qui 9. Augusti, erat Caluinistis ad disputandum datus, aduenisset, ingens hominum multitudo concurrit ad templum Societatis IESV, omnium in ea ciuitate capacissimum. Aderant Principes, & Regni Proceres qui tum Lublini erant præcipui quiq; , Nobilitas frequentissima, horis aliquot pomeridianis expectati Caluiniani, & repetitis nunciis, vt se sisterent inuitati, tandem Proceribus & toti Auditorio per nuncium à se missum, Dominum Wegierski edicunt, se ad Disputationem, quòd Maiorum suorum authoritate non permitterentur, nequaquam esse venturos. Habes causam Relator veram, publicè allatam, à me qui præsens tunc eram, in oculis tot millium hominum auditam.

Sed longè aliam Minister, quippe sperans fore honestiorem, de concionum habitarum frequentia, quæ cœnaturientes Ministros distinebat, obtrudit. Ait enim, in cœtu Lublinensi antequam quidquam de Disputatione audiretur, Communionem sacram fuisse indictam, cui necessariò conciones quotidianæ binæ, interdum ternæ præmittendæ essent: & Grzybouium Ministrum Lublinensem, spiritualium negotiorum mole pressum *aut oppressum, cum dubitasset, disputatione an cœna magis ad propositum esset, cœnam disputationi prætulisse: nec immeritò, palato enim Caluiniano (cuius Deus venter est) magis cœna cum poculis arridet. Interdictum verò datum Ministris, in disputationem ne venirent, Relator quidem hic dissimulat, omnes tamen alii qui tum præsentes aderant, Proceribus à Ministris suam absentiam excusantibus, illud pro causa fuisse redditum, à Domino Wegierski, audierunt. Sed pressa licet à Relatore veritas, opprimi vsquequaq; non potuit. Nam imprudenti & immemori mendacii tandem excidit: fatetur enim infra, paulò ante Iesuitæ Theses appositas, iudicium DD. Patronorum in causa fuisse, quod scripto potius & manu, quam mente & lingua se Catholicis Thesibus opposuerint Ministri. Meritò ergo Crucius, oculatus eorum quæ in illa Disputatoine gesta sunt testis, in Monitis Caluinisticis à se anno* 1616. *editis, Monito* 6. *idem asserit. Postquam enim posuisset.* Constitutum est Mininistris Euangelicis *id est Caluinianis* vt Disputationes de Fide publicas, maximè cum Iesuitis, etiamsi prouocati fuerint, omnino declinent, nec in iis comparere præsumant, *postmodum probationis loco addit.* Ita fecerunt Lublini anno superiore, prouocati Ministri Caluinistarum à PP. Societatis IESV ad concertationem publicam, cui tanquam

quam Moderatores & pacis custodes aderant omnes supremi Tribunalis Iudices, sub ipsum enim tempus assignatum Disputationi submiserunt duos Nobiles, qui eos coram toto illo conuentu, cur non comparerent, & disputationi se non sisterent, eo modo quo supra purgarunt. Sed friuola excusatio, ab omnibus risu excepta. *Hæc Crucius, neq; adhuc comparuit ex Caluinistis excruciatis vllus, qui hac in re Crucium falsi conuicerit. Extrusit quidem in vulgus quidam tenebrio, quatuor vel sex foliola contra Crucium, sed neque Crucium refellit, nec falsi conuincit, suam tantum crambem recoquit, sua dogmata collaudat, nullo prorsus Crucii pudore vel damno. Expendamus iam, quas Relator Epistolaris detrectratæ à suis Prædicantibus Disputationis causas comminiscitur. Sic orditur.* Ergo nostri à Iesuitis prouocati tunc temporis sistere se indignum iudicárunt. *Polles ingenio video Relator, qui tam scitè mentem Ministrorum interpretatus es, & quod ipsi dicunt sistere se non potuisse: quod verè nos credimus, sistere se ausos non fuisse: tu, sistere se indignum iudicasse acutiùs sensa eorum rimatus, affirmas.*

Sed causa hæc scripturam quam toties iactatis non olet. Cur enim Apostolo idem & cœnandi & disputandi tempus? Actor. 20. 7. *Conuenientibus enim vna Sabbathorum ad frangendum panem disputabat cum eis. Vbi S. Augustinus lib. 1. contra Crescon. cap. 14. & sequen. disputationem talem habitam censet, qua propositis in contrarium discussis, veritas elucesceret doctrinæ. Nisi quemadmodum Sociniani, vt tu perhibes, Paulum Apostolum in adducendis scripturæ testimoniis interdum à proposito aberrare blasphemant: ita vestri Ministri eundem Apostolum quòd Disputationem cum sumptione Eucharistiæ coniunxisset, à legitimo vsu sacramenti aberrâsse credant. An vestris Ministris sumptâ manè cœnâ pomeridianis horis disputare de rebus Diuinis non licet? certè vobis inter pocula ad multam noctem litigare, eodem quo sumpta cœna est die, & licet, & non insolens est? Non est, Relator, de Mysteriis Fidei disputatio, quæ lucem adferre cæcis, viam commonstrare aberrantibus, ad vitam nititur reuocare mortuos, occupatio adeò profana, vt eam eodem quo cœnatur die institui sit nefas. Nostra scriptura, duo hæc peragi eodem die nusquam vetat: vestrum Euangelium an hoc vobis prohibeat, tu non doces, & ego non magnopere à te scire aueo.*

Instas, Conciones tamen ante cœnam quotidianæ habendæ erant binæ aut ternæ. *Audio, & quo fine tanta concionum furia miror. Cœnare enim*

apud

apud Caluinianos nihil aliud est, quàm sumere buccellam panis, & haustum vini, & credere Christi corpus esse in cœlo, extra cœlum non esse. Si igitur concionantis finis est persuadere dictione, quæso quid cœnaturis Caluinistis tot concionibus persuadendum erat? vt crederent Christum esse in cœlo? hoc non credunt? aut non nisi multis concionibus persuasi credunt? & hi Euangelici sunt? An verò non vt credant concionando efficere contenditis; sed vt panis buccellam sumant alacres, & hauriant ex calice? vt calicem hauriant prompti, non allaborate multùm, fit liberalior, atq; adeò Euangelicus, capiens metretas binas vel ternas, & plenus generoso lyæo, multiplicabitur bibentium numerus, quamuis non multiplicentur conciones. De pane aliud negotium. Fama enim est, Caluinistas panem sine pulmento, quod ieiunantium cibus esse videatur auersari: vt igitur illis sapiat, nihil concionibus opus est, clausos in cœtu fame triduana macerate, properabunt credi- ve ad panem etiam hordeaceum: nec Prædicantissæ magnum colligendis residuis fragmentis, laborem subibunt.

Verùm esto habendæ fuerint conciones quotidianæ binæ vel ternæ. Tantæ molis sunt apud Caluinistas conciones? Elaboratas quidem testatur non Papista alioqui, Conradus Schlusseburgius lib. 2. Caluinist. Theol. Art. I. Sed materia non adeò vobis difficili. Sacramentariorum, ait ille libri. (probant hoc tuæ istæ chartulæ aliquot, Relator) & conciones, mendaciis, calumniis, conuitiis, maledictis & contumeliis abundant. Ecce quam facilè parabiles vestris Prædicantibus conciones. Qui enim eiuratâ Catholica fide peierârunt, vt mentiantur, lectione librorum, multo studio, multa commentatione opus non habent. Conuitiis, maledictis, contumeliis, in perpetuo cum vxoribꝰ litigio dant operam, docent & discunt: non est necesse, vt ad comparandam harum rerum scientiam volumina Hebræa, Græca, Chaldaica, Syriaca, nocturnaq; manu versent, versentq; diurna: feracia sunt istius frugis Ministrorum ingenia, & exercitatio domestica perennis.

Labor tamen, inquies, tot concionum qualescunq; illæ sint, non debet censeri leuis, & Lublinensis Prædicans Grzybouius cui disputandi munus obtigerat, omni adiutorio fuit destitutus, non credo. Ais enim: facilè euocari potuisse Betzycis Zurouium, Curouiâ Iezierscium in palæstra disputandi exercitatos. Qui facilè arbitratu suo adiutorium habere potest, non est omni adiutorio destitutus. Obstupuissent scilicet Caluinistæ si ad cœnam inuitati Grzybum in cœnaculo cum Zuro & aquam de Ieziorо inuenissent, nec ad

cœnam se

cœnam se Caluinisticam, sed ad Papisticum ieiunium inuitatos miserè lamentati fuissent. Nisi fortè dum Grzybouium suum omni adiutorio destitutum, asseuerat Relator, vxorem illi aliquo infortunio fuisse ademptam dicere velit. Adiutorium enim Ministris vxor est, & vbi legitur: Faciamus ei adiutorium, glossant. Ei, id est, cuilibet Ministro, Hoc adiutorio si Grzybouius eo tempore fuit destitutus non omni quidem, at ferè omni fuit destitutus. Iuuisset plurimum, iuisset ad forum, emisset panem, concidisset buccellatim pro cœna, intulisset, porrexisset sumere volentibus, Quidni hoc scitè præstitisset, præstantiores etiam cibos apparare & inferre docta? Panem enim qui vobis in cœna porrigitur, vestri doctores simplicem panem esse asserunt, vt eorum testimoniis probat Martinus Becanus Opusculo de triplici cœna: & contra Propositiones quasdam Plessæi, & Stanislaus Rescius in Atheismis vestris. Quo autem verbo Diuino vetitum ne Prædicantissa panem poscenti frangat, vinumue porrigat? Sed quod Grzybouio adiutorium esse potuit, tibi, Relator, vereor ne fuerit impedimentum. Esto enim habueris iustas causas in hac tua Relatione occultandi nomen tuum, & in quo typis excusa sit locum. Annum cur occultum volueris, non inuenio. Nisi quod puderet te per biennium & sex menses, id est à tempore habitæ Disputationis ad tempus vulgatæ in Torunensibus nundinis Relationis, non potuisse maius volumen conficere, quàm duorum foliorum & dimidii. At quomodo potuisses, Prædicans cum sis: aiunt autem Prædicantes vxoria mancipia esse, nec aliter Prædicantissæ quàm cæteræ. Dum enim moliuntur, dum comuntur annus est. Producenda igitur tibi fuerit bis minimum in concionem Tua compta, nonne molientis, & comentis se obsequio, annus erat dandus vnus, & alter? vt mirum sit à te vxoriæ compturæ mancipato, tam breui tempore tantum Relationis opus ad vmbilicum perduci potuisse. Sed adhuc agam tecum diutiùs Relator, si instruenda à vobis cœna, & habendæ disputationis die conciones in causa fuerunt, ne prodiretis in publicum, cur tam iustas vestro iudicio causas, non illo ipso die, quo à Nobili viro D. Ioanne Korytko inuitabamini attulistis? An non facilius erat tunc dum inuitabamini ad certamen, concionum nondum peractarum commemoratione Disputationem quam timebatis subterfugere, quàm ipso Disputationis die & tempore, quando iam & conciones erant absolutæ & Caluinistica cœna peracta? Crassus es mi Minister, qui adeò nos hebetes putes, vt non agnoscamus friuolam hanc detrectatæ disputationis causam: Non cœna, nec conciones, sed Iesuitarum metus in causa fuit: Maluistis scriptum è refutatis toties vestrorum rapsodiis

confarcinatum ad locum Disputationis mittere, quàm ipsi comparere: epistola enim non erubescit, vti vos si adfuissetis nec semel nec leuiter erubescere coacti fuissetis.

Finiamus tamen hoc primum Disputationis impedimentum, vno Relatoris insigni mendacio annotato. Ait quo die cœna Caluinistis pro 9. Augusti indicebatur, id est duabus hebdomadis ante nonam Augusti, de adornanda hac Disputatione non fuisse ipsis auditum quicquam. *Et post paucas pagellas.* En tibi, *inquit,* literas Iesuitæ ad Iesuitam Lublinum datas, in quibus de hac ipsa Disputatione adornanda consilium datur: *Et addit.* Hæ literæ per incuriam deferentis elabente Mense Iunio Lublini amissæ ad manus cuiusdam Patroni Illustris & Magnifici peruenerunt, qui eas mihi ostendit. *Si ante finitum mensem Iunium, literæ Iesuitæ interceptæ, Caluinisticâ libertate resignatæ, & in literis consilium de adornanda Disputatione, materia, modus disputationis instituendæ assignabatur: quomodo* duabus hebdomadis ante 9 Augusti de adornanda hac disputatione non auditum apud Caluinistas quidquam? *In mense Iunio literæ Iesuitæ ostendebantur, legebantur, publicabantur Prædicantibus, & non audiebatur quidquam? apud Catholicos à mense Iunio ad 9. Augusti plus quam duæ hebdomadæ sanè sunt: in Rubricellis Prædicanticis ne duo dies quidem intercedunt, amissa enim luce veritatis in nocte perpetua degunt, quid mirum, si hebdomadas ritè distinguere non possunt. Te verò Relator hic moneo, ne quidquam scribas deinceps, memoria non polles miser, quæ mendacibus vnicè necessaria, & vera scribere hac ætate non disces, nec si velis in Caluinismo poteris, ita de intrinseca ratione Ministrorum Caluinismi mentiendi necessitas. Ideò meritò ingeniosus quidam Iesuita in verbo hoc,* Minister, *anagramma inuenit,* MENTIRIS, *dispone literas, compone, nec plures nec pauciores nec alias in Ministro tuo reperies. Non credis? fac periculum.*

Altera causa, cuius impulsu, *loquitur Relator,* prouocati Ministri, sistere se indignum iudicarunt: quod locus illis tutus delectus minime fuerit, integrum enim non erat orthodoxis, *Caluinistis,* templum ingredi. *Iam dictum est, in Disputatione illa, supremi Tribunalis Regii authoritatem interfuisse. Qui disputationem moderarentur, & pacem tum publicam, tum inter ipsos disputantes tuerentur, aderant præerantq;*

præter.

præter supremum Iudiciorum Regni Præsidem, Illustrissimus Dominus Stanislaus Lanckoronski Palatinus Podoliæ, Illustrissimus D. Nicolaus Wolski Regni Marsalcus, Illustrissimus Dux Georgius Czartoryski, Illustrissimus Dux Korecki, Magnificus D. Kalinowski Capitaneus Camenecen̄, Generalis Podoliæ, Magnificus D. Sobieski Palatinides Lublinen, Magnificus D. Gorayski primarius vestri Euangelii in minore Polonia patronus, Magnificus D. Sieninski Patronus Arianorum Socinianorum, & inter auditores viri illustres è prima nobilitate plurimi. Quid hic non tutum? Sed quia in templo Catholico res agebatur, non frustra Caluinista queritur locum suis non fuisse tutum. Legitur enim neq; Philistæis tutum fuisse in eo loco versari, in quo Arca testamenti, manna cœleste continens præsens adesset. Fiebat enim manus Domini contra eos, *ait scriptura* interfectionis magnæ. *Quomodo igitur non timerent Caluinistæ templum ingredi, in quo præsens adest Deus, quem ista secta in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento sæpe indignis tractauit modis? Moysi ad rubum, in quo peculiari modo præsentem se monstrabat Deus non licuit accedere calceato, Caluinistæ licebit ad eundem Deum accedere sacrilegiis contaminato? Angelus quod Domini personam agereret, à Iosue accedente exigebat cultum & venerationem. Angelorum conditor & Dominus in Eucharistiæ Sacramento præsens, Caluinistis permittet suæ Maiestatis contemptum & subsannationem? Nouerint igitur Caluinistæ, quamdiu Hæretici fuerint, nunquam illis licere posse templum Catholicum intrare tutò, non quidem Catholicorum hominum obstante metu, qui Caluinistas in Catholicis libenter vident templis, sed impediente Maiestate Diuini Numinis, tot modis nefariè à Caluinistis irritata.*

Verùm ex te audire lubet, cur templum Prædicantibus ingredi non fuerit tutum. Hominum, *ais,* colluuies erat timenda. *Multitudinem magnam honestissimorum hominum, qui præsentes adfuimus, vidimus. Nobilissimum & frequentissimum Auditorium tibi absenti fuit colluuies? Sed cur hæc colluuies Socinianis non est visa formidabilis? interfuerunt vtroq; disputationis die, visi, cogniti: disputârunt publicè diu, & nullo verbo aspero ab vllo appellatus eorum quisquam. Et sub Tribunalis iudicia summis & infimis omnibus notissimum, non Lublini tantum, (vt nil dicam de templo, in quo Tribunal ipsum aderat) sed in vniuersa quoq; circa Lublinum vicinia, quieta & secura esse omnibus omnia. Promissa igitur nomine Supremi Tribunalis, & Prædicantibus, & omnibus securitate, non erat quod formidarent.* Husfi, *ais,* vestigia terrent. *Ea*

 propter

propter caue, ne illis insistas. Cuncta Stygem versus tendentia, nulla retrorsum. Sed si vos Hussi vestigia terrent, cur popinas, tabernas, prostibula, aditis frequentes? nihil ibi actum violenter contra Hussum: nec in Tribunali quidem. Tribunal enim non Episcoporum & Pastorum Ecclesiæ consessus est, sed Iudicum sæcularium, in quorum numero etiam non Papistæ multi. Apud Iesuitas solenne, *ais*, est docere, fidem Hæreticis seruandam non esse, *Mentiris Minister: Audi Iesuitam Martinum Becanum tom. 2. Opusc. 1. De fide Hæreticis seruanda.* Aduersarii, *inquit*, aiunt nos docere, non esse fidẽ Hæreticis seruandam, quod est apertum mendacium. In hoc similes sunt Pharisæis, qui tametsi ex ore Christi palam audiuissent; Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo, tamen ausi sunt illi obiicere coram Pilato: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari. *Lege totum illud Opusculum Becani, & os Caluini verbis plenum, hoc est mendax, à mendaciis cohibe. Voces, ais, esse in templo auditas frequentes.* Ades domine Minister; vltimum hic cœnabis. *Iterum cum mendacio prodis, & cum mendacio quo indicas te velle mentiri, sed non scire concinnere mendacia. Finxisses saltem verba, qualia ex ore vulgi Catholici, credibile esset audiri potuisse. Si quando contra Ministros verbo quispiam è vulgo insurgit, non dicit:* Ades domine Minister, *sed potius:* Ades nebulo Minister. *Atqui voces aliquas contra Ministros iactatas nemo hominum præsentium audiuit, tuum hoc absentis mendaciũ est. Sociniani Anabaptistæ disputantes nullã eiusmodi immodestiam experti: alioqui si has voces audiuissent, non tàm facilè insequenti die Statorius publicè in theatrum disputaturus prodiisset. Non egisset in oculis omnium, tum D. Sieninski Socinianorum patronus, tum D. Brzezinski eiusdem sectæ, magnas Patribus Societatis gratias ob peractam modestè & sine vlla verborum acrimonia concertationem. Nota hic Relator, quam tui Prædicantes parati sint Christum annuntiare Turcis, aut aliis Barbaris, vbi periculum est vitæ adeundum. Iesuitæ sanè cum in Angliam, cum in Scotiam, Hyberniam, cum ad Batauos, cum ad Turcas, cum ad Indos, cum in Prussiam Euangelii veritas ferenda est, an securum sit ea loca adire, non quærunt, quia nec Apostoli quæsierunt. Vestratibus de cuticula & vxore & charissima in Christo numerosaq́ sobole tuenda, maior, quàm de Euangelio propagando solicitudo: & tamen vultis haberi & vocari Euangelici, Christi & Apostolorum imitatores? O lupi, qui custodes Christi gregis*

sti gregis

sti gregis pertimescitis vsq; adeò, vt millibus vestrorum gregalium comitati, ne quidem in eorum aspectum venire audeatis.

Vltimam rationem reiectæ à Ministris disputationis à Relatore habemus: Quod non decenter, non modo debito, non cum dignitate prouocati essent. Si enim, *ait*, prouocâssent orthodoxos Pastores, vt Christi Ministros, comparere tenebantur; sed cum prouocauerint vt Caluinianos, ad sistendum se nullo iure sunt obligati, *Lupi, ouium nomen quærunt, vtinam ouium mansuetudinem, & promptam ad nutum legitimi Pastoris obedientiam præseferrent. Vos verò Iesuitæ vocarent orthodoxos & Christi ministros? Nunquam vos Iesuitis & Catholicis omnibus, alii quàm Hæretici & Caluiniani Heterodoxi eritis. Mentiri non solent more vestro Catholici nostri, vt dicant vos eos esse qui non estis.* Quæ conuentio Christi cum Belial? *Dicis igitur Relator. Ministros tuos ad disputandum propterea non venisse, quod Caluinistæ prouocarentur, & illi Caluinistæ non essent. Quæso, theses nonne Caluinistis inscriptæ erant? cur eas acceptarunt, si Caluinistæ non erant? In thesibus nonne Caluinistarum doctrina damnabatur? cur eam opposito thesibus iudicio scripto tuendam sibi duxerunt, si Caluinistæ non erant? Ipsi se agnoscunt Caluinistas, & quod ad Caluinistas dirigitur, ad se dirigi credunt, disputatori responsum publicè tradendum mittunt, & tu eos Caluinistas esse negas? & iustam putas omissæ disputationis causam? Ridiculus es.* Non in Caluini nomen vos baptizatos, *ais*, nec Caluinum pro vobis crucifixum. *Neq; nos in Papæ nomen baptizati, & tamen à vobis audimus Papistæ, & libenter audimus, & tali nomine insigniti ac vocati, semper vobiscum certabimus. Fac periculum Grzyboui, vel tu vir conspicue Reuerende Domine Ioannes Zurcui de Betzíciis, vel tu D. Andrea Iezierski Academiarum Altorfianæ & Heidelbegensis sidera, lunæ, Soles, quid non?* Caluinum pro vobis, *ais*, non esse crucifixum. *nec ego crucifixum legi: legi candenti ferro vstulatum, sed propter Sodomiæ, tunc cum vestrum Euangelium gigneret, admissa flagitia. Deniq; Caluinistarum vobis Ministri, non Christianorum, aut Euangelicorum, aut orthodoxorum iura nomen tribuunt, quid iniqui contra potestatem querimini? Theodosium & Valentinianum Imperatores audi.* Damnato portentuosæ superstitionis authore Nestorio, nota congrui nominis eius inuratur gregalibus; nec Christianorum appellatione abutantur. Sed quemadmodum Ariani ab Ario, lege

Diuæ memoriæ Constantini, ob similitudinem impietatis, Porphyriani á Porphyrio nuncupantur; sic vbiq; participes nefariæ sectæ Nestorii, Nestoriani, (*& similiter ob similitudinem impietatis, participes nefariæ sectæ Caluini, Caluiniani*) vocentur: vt cuius scelus sunt in deserendo Deum imitati, eius vocabulum videantur esse sortiti. *Hactenus Imperatores. Quod si rationes scire desideras, ob quas vobis Iesuitæ, neq; Euangelicorum, neq; Orthodoxorum nomen tribuendum censeant, lege Martinum Becanum opusculo de titulis Caluinistarum. Vt verò te doceam, quod negas, Caluinum à multis Iesuitis esse confutatum, (quod tu ad elogium tui Caluini elaborandum intentus negas) & plurimorum errorum & mendaciorum conuictum, non attentabo. Nimium enim à libris te alienum esse oportet, qui nescias quid à Iesuitis contra Caluinum & Caluinistas, scriptum sit. Bibliopolas & bibliothecas consule.*

Risum excitat, quod ad prædicta impedimenta addis: Iesuitis, si disputare seriò voluerunt, dandam operam fuisse: vt Ministri Caluiniani Patronos haberent sæculares & Politicos Caluinistas, qui Principes & Proceres Catholicos tunc præsentes potentia & dignitate æquarent. Hoc Sociniani à Iesuitis non postularunt, quamuis patronos Arianos potentia, & dignitate cum Catholicis conferendos non haberent: postularunt quidem vt Magnificus D. Sienienski Sociniani Arianismi protector, arbiter & moderator inter alios disputationis esset, & nullo negotio impetrarunt; idem concessum & vestratibus fuisset, immò vltrò oblatū. Præfuisset vt moderator & arbiter disputationis primarius Caluinismi patronus Magnificus D. Gordyski, qui etiam præsens altero die disputationis aderat, vir nobilissimus & nominatim à Iesuitis inuitatus, primo die fuerat, & magno honore exceptus à Patribus Societatis, vicissimq; ille vti vir humanissimus magna beneuolentiæ significatione R.P. Korczewski Rectorem Lublinensem, & R.P. Lancicium peracta disputatione ad cœnam domi suæ inuitauit. Et video si Ministris Caluinianis tuis præsente Serenissimo Rege nostro disputandum esset; non prius eos in medium udituros, quam Iesuitæ prouiderent, vt Caluinianis, Rex potentia & Maiestate tanto Regi par in Polonia crearetur. Bene video, quo collimetis. Pertimescitis Iesuitarum doctrinam, ingenium, acumen, eruditionem, tales ergo conditiones apponitis, quibus stantibus liceat vobis, non in oculis hominum, sed in angulis tantùm cum vestratibus Iesuitas carpere, inuadere, & si Diis placet vincere, vno verbo cū vmbris, cū vestris chymeris dimicare. O egregios bellatores?

Hact enus

Hactenus de prima Relationis Epistolaris parte, in qua Relator rationes excogitabat, quibus probaret Caluinistas ad disputationem prouocatos sistere se non debuisse. Conatus est certè ignominiæ notam in suis detergere, quid apud Caluini asseclas consecutus sit, nescio, prudentes omnes clarè agnoscunt Ministros causæ suæ & doctrinæ diffisos comparere ausos non fuisse, vt videri possint eum à quo mittuntur imitari. In scriptura enim sacra Iob 4. iuxta septuaginta interpretes Diabolus Myrmicoleo, formica & leo appellatur, quod vt exponit Olympiodorus & S. Gregorius contra ignauos & virtute destitutos vt leo insurgat: vbi ad strenuos in spirituali certamine ventum est, non plus virium illi sit, quàm formicæ. Sic isti ab eo missi, in suis speluncis & Synagogis, coram ebria Caluiniano errore colluuie, vt Leones, audent omnia: minantur omnia, contemnũt omnia: ad nullius diceres formidaturos occursum: quando cum iis, quorum laus est in Euangelio, congrediendum est, ibi verò vt è formicario prorepant, nullis eos modis adducere queas, ita suo fidunt Euangelio.

Iudicium Caluinistarum Thesibus Iesuitarum oppositum.

CAPVT. II.

IVdicii istius scriptores, Lublinenses Orthodoxos fuisse tradit Relator. Ne tamen ipse Relatoris officio functus videretur, ex sua etiam fidelia, ad concinnandum hoc indicium, contulit opellam non leuidensem. 1. In locis quadraginta quatuor, addendo, detrahendo, immutando, ab autographo, quod Ministri Patribus Societatis IESV miserant euariauit. Autographum ipsum in manibus meis est, cuilibet cõferre volenti, exhibebitur. Industria hac Relator videtur vsus, quia si edidisset ita vt in autographo scriptum erat, retulisset id scriptum fuisse, quod reuera à Lublinensibus Ministris scriptum erat, ille autem pro eo, quem profitetur, candore, non habet hoc in more positum, vt id gestum, dictum, scriptũq; esse referat, quod verè gestum, dictum, scriptũue sit: sed id refert gestum esse, dictum, aut scriptum, quod nunquam gestum, nunquam dictum, nunquam scriptum est. Principis mundi, Patris sui, qui in veritate non stetit, mores refert: & se in quouis ferè passu, Caluinianum, hoc est mendacem, Relatorem prodit: 2. Ait Iesuitas accepto hoc scripto respondisse: Ad disputationem se, quæ viua voce, & publicè in conspectu omnium institueretur, non ad scripta

scripta Ministros prouocâsse. Sed cum non cōparuerint, scriptum scripto breui profligaturos se minati sunt. *Minas hasce solus multò ante præuidens Relator, vt sibi consuleret, Lublino excesserat: certè à Iesuitis fuisse intentatas, solus ille longè à Lublino dissitus audiuit, cæterorum nemo. Patres enim Societatis, scripto hoc iudicio, illis oblato responderunt in hæc ferè verba: Scriptis cum aduersa parte de Religione agere semper sibi integrum esse, & vbiq; : neq; ab hoc disputandi modo hactenus à suis cessatum. Nihil enim ab aduersariis prodiit in lucem, quod, vbi responso res digna visa, confectum stylo Catholico subitò non sit. Hunc diem, propriis alioqui, ad quæ ex Prouincia conuenissent vniuersa, negotiis ereptum, libenter se desiderio Illustrium Personarum obtulisse, vt in tam nobili auditorio, materna lingua, cunctis quotquot adessent audientibus, de Religione colloquium cum aduersariis institueretur. Adessent, rogare se iterum atq; iterum, prouocati Ministri, fidemq; tot Proceribus & toti Auditorio obligatam exsoluerent: alioqui dedecori sibi hanc absentiam futuram scirent, & quotquot adessent pro Religionis Catholicæ veritate sententiam laturos. Hoc duntaxat erat, quod Patres Societatis ad scriptum sibi oblatum omnibus audientibus responderunt. Scriptum illud vt mandarent typis, non promiserunt: vt ad illud responsum aliquod darent, neq; petitum ab illis est, neq; se facturos sunt polliciti: Quod expectauerint tam diu responsum Caluinistæ, suæ id stultitiæ adscribant. Cur enim expectarunt, quod iam pridem illis oblatum est? Vtinam ita Caluinistæ prompti essetis ad discendum, quam Iesuitæ prompti sunt, ad nauandam vobis operam suam. Frustra quiritamini, responsum vobis à Iesuitis non datum: datum est & typis vulgatum, priusquam vos non dicam de hoc iudicio scripto Lublinensi, sed multò etiam ante, quam de Synagoga Lublinensi cogitare cœpissetis. Ego vobis vbi responsum ad scripta iudicii vestri capita legere debeatis indicabo. Legite Canisii, Bellarmini, Gregorii de Valentia, Costeri, Vuieci, Grodicii, Gordoni, aliorumq; Iesuitarū scripta multò ante Lublinemsem disputationem edita, illic iudicii vestri ineptias solidè & abundè refutatas inuenietis. Si non vacat, vxores accersite, iuuabunt mihi crede: non minus in voluendis Iesuitarum libris, quam soleant in Bibliorum volumin, vobis opem ferent istæ dilectæ in Christo prædicantissæ, nihil minus vobis doctiores, iuxta vestrum illud:* Erunt omnes docibiles Dei. *Et:* Spiritus vbi vult spirat. *Et:* Non est personarum acceptor Deus. *Non est igitur quod à Iesuitis in Polonia, responsum ad vestrum iudicium exigas, multò ante quàm tu Minister ferbi Dei sis factus, plenissimè datum.*

Quæri autem hoc loco non immerito posset, quare Prædicãtes tum alia omnia, quæ thesibus opponunt argumenta ex Bellarmino sumpserint, nihilominus quando contra quartam thesim ostendere volunt, datam ouibus suos Pastores examinandi potestatem, omittunt illa argumenta, quæ à Bellarmino inter prima posita sunt, quale est illud ex Isaiæ 54. vbi dicitur : Dabo omnes filios vestros doctos à Domino. *Et Matth, 23.* Vos autem nolite vocari Rabbi, vnus est enim Magister vester Christus. *Subit in mentem cogitare, veritos fuisse Prædicantes, ne suis hædis non solum examinandi, sed etiam exterminandi suos Pastores potestatem tribuerent, si eos iam à Domino doctos, & nullis Rabinis indigentes faterentur. Et hæc de iudicio, quod Iudices nullo iudicio præditi Thesibus Catholicis opponendum iudicarunt.*

De literis Iesuitæ ad Iesuitam à Relatore euulgatis.

CAPVT. III.

NON omnes probè sui muneris partes Relator sibi executus videbatur, si tantùm gesta in disputatione Lublinensi, quæ non viderat, dicta quæ non audierat, vendidisset. Et ne vel à malo Dæmone eas didicisse crederetur, quod probro sibi apud omnes esset, vel reuelatas accepisse diuinitus, quod odium illi Synagogæ conflaret. Sanctus enim haberetur, at sancti Caluinistis laruæ, bestiæ, Carnifices apud Caluin, lib. 3. instit. cap. 20. sect. 27. Literas Iesuitæ protulit in lucem, ex quibus intima Iesuitarum sensa indagine sagaci eruit. Verba sunt eius. Vt planius; *ait,* constet, quo consilio, fine, & scopo, Iesuitæ Orthodoxos in certamen disputationis prouocauerint: En literas Iesuitæ ad Iesuitam Lublinum datas. *Ita Caluinistæ non amant tãtùm, sed faciunt quoq; mendacium. Audituri infelices inter alios à cælesti Hierusalem arcendos.* Foris canes, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat aut facit mendacium. *Epistola siquidem, quam tu Relator Iesuitæ esse ais, mendacissimum vel tuum vel alicuius è tuis fraterculis figmentum est. Cauisse quidem sibi scelesti videntur, ne conuinci testimoniis euidentibus possent: Nomen enim scriptoris comminisci non sunt ausi, ne nominatus tum manus & styli congrua ratione, tum aliis manifestis documentis imposturam detegeret: Locum ex quo Epistola data esset non expresserunt: veriti ne*

riti ne superior illius quem nominarent loci, omnes quæ alio mittuntur scriptiones legere prius, quam obsignentur obligatus, nunquam talem Epistolam ab vllo ex iis quibus cum viueret scriptam esse doceret, neue testes omni exceptione maiores accurrerent, qui vti sæpe mendacia detecta sunt, testarentur, eo tunc loco & tempore illum non fuisse, cum scriptum quodpiam affingeretur. Deniq; ne aut Rector, qui tunc Collegio Lublinensi præerat, vir grauis, & omnibus huius amplissimi Regni Proceribus carissimus R. P. Ioannes Korczewski. (Rectores verò Societatis non nisi lectas à se literas, iis ad quos mittuntur reddere soliti,) aut ipsemet ad quem Epistola hæc scripta narratur, P. Christophorus Piasecki notæ authoritatis, quidquam de veritate huius Epistolæ testari possent: subiungit vafer Relator Epistolam hanc antequam Iesuitis reddita esset, Lublini per incuriam deferentis amissam, *ita vt obsignata erat in manus Illustris & Magnifici cuiusdam Patroni Caluinistarum incidisse, ab eoq; aliis communicatam. Tantum sudatum est, vt tectum lateret scelus. Sed ô Relator, non vides suppresso scriptoris literarum, suppresso loci, ex quo datæ sunt nomine, credi non posse has literas à Iesuita scriptas. Cui enim vis credam? Tibi? Non possum. 1. Hæreticus es, & hæreticis teste S. Augustino scripturas etiam sacras deprauare familiare. Illi igitur, qui, quod ipsi finxerint, diuinitus literis mandatum esse, mentiri audent: à Iesuita scriptam Epistolam, quam ipsi confinxerint, asserere non audebunt? 2. Ex eorum numero es, qui hoc sæculo imposturis, & ementitis contra Iesuitas scriptionibus in lucem editis toti mundo sunt infames. Symmista enim eorum es, qui vt eis obiicit Martinus Becanus Tom. 1. Opusc. 17. Aphoris. 15. editis libris sparserunt Antuerpiæ propter enorme crimen publico supplicio Iesuitam quendam affectum esse: cum tamen scirent se vniuersæ Antuerpiæ testimonio turpissimi mendacii conuincendos, sicut conuictos esse constat. Tuæ farinæ fuerunt, qui publicato scripto asserere non sunt veriti, Iesuitas Monachienses in Bauaria, non modo stuprum virgini intulisse, sed atrox etiam homicidium perpetrasse. Quid assecuti Relatores hæretici? nisi vt Serenissimi Bauariæ Ducis publico diplomate, mendaces & impostores haberentur. Suum te vocant, qui Cracouiæ quatuor Iesuitas à Rege Stephano, propter enormia flagitia infami morte affectos, edito libello publicârunt: execrata Polonia tota mendacem proteruiam, & Rex Stephanus authores calumniæ, æternæ ignominiæ, edita typis regia attestatione, addixit. Ad eos deniq; pertines, qui ante annos quinq; Illustrissimi Cardinalis Bellarmini, horrendam mortem confessioneq; immanium scelerum plenam, protulerunt in lucem.*

Extat

Extat Diabolicæ malitiæ exetrabile monimentum, per Caluinistas, & cogitatum impiè, & nefariè machinatum: & quidem tale, in quo nomen proprium loci, nomen personæ, quæ confessionem prædictam reperisset, typis proditum, sigillatim notatis circumstantiis, explicata in ea confessione flagitia horrenda, recensita enucleatè. Deniq; vel hoc vnico documento orbis terrarum Caluinistarum malignitatem, à quinquennio iam stupet & horret vniuersus, superstite adhuc Cardinali Bellarmino: atq; vtinam superstes perennet, ad Ecclesiæ Dei immortale decus, & ad confusionem omnium Hæreticorum sempiternam. Cum eiusmodi impostoribus innuitito tibi, Iesuitarum infensissimo hosti, à Iesuita scriptum credam? quod nec Iesuitæ à quo scriptum sit nomen: nec Iesuitarum, in quo scriptum sit, domicilium: nec annum, mensisue quo scriptum sit, ostendit diem: sed tua, è mendacium Ministrorum caterua vnius asseueratione, à Iesuita refertur scriptum. 3. Caluinismo rabidus furis. Audi igitur Ioannis Olearii publici scriptoris, & quia non Papistæ, verum esse non dubita de te testimonium: vbi Caluinismus, *inquit*, inualescit, ibi prophanitatem, malitiam, duplicitatem, perfidiam, & omnis generis flagitia inualescere. Pascunt & saginantse mendaciis. *Si igitur mendacia hoc teste, & ad victum vobis sunt & ad saginam, non insanus fuero, si contra eos, in quos tu non Vatiniano, sed Plutoniano, aut etiam, quod maius est, Caluiniano odio flagras, temere garrienti, nullam habuero fidem: 4. In hac tua ipsa relatione epistolari non vno modo impostor es. Epistolam enim imprimis amici ad amicum alteri supponis, & tu illius ipsissimus epistolaris faber. Quæso enim te, amicus tuus iste, baptizatusne & nomen sortitus? Quod illud? Adscripsit enim, si præter te, alius quispiam scripsit, & salutationem initio: & in fine Christianis consuetam: & à quo, vnde, quando Epistola data. Cur hæc non comparent in candida & simplici relatione? Epistola hæc amici ad amicum, quam vulgasti, conuitia in Iesuitas, criminationes, & scommata in Crucium, continet, famosa est, anonyma est, hanc tu capitis tui periculo, si tua non esset, sine authoris nomine ederes? præterea stylus vtrobiq; omnino tuus est, & in amici ad te, & in tua ad amicum Epistola: compellandi, adiurandi formulæ eædem, phrases, verba vtrobiq; germana. 5. Iudicium quoq; à tuis Ministris thesibus Iesuitarum oppositum, non illud ipsum in tua Relatione legitur, quod X. Augusti Iesuitis cum Socinistis disputationem inchoaturis, à Domino Wegierski traditum est. Hoc enim à te editum ab illo authentico manuscripto, quod à Patribus Societatis communicatum habeo, vestra manu exaratum,*

tum, in quadraginta quatuor locis, quâ additione, quâ detractione, quâ immutatione diuersum. Ipso initio : Tu scribis : In Thesibus propositis Iesuitæ: *illi scripserunt :* Patres Iesuitæ. *Tu scripsisti.* Sophistas versipelles agunt ; *Ministri scripserunt.* Scholasticos agunt. *Tu scripsisti.* Qui ne ante victoriam canant triumphum : *Illi scripserunt:* Quorum postulationi vt satisfiat. *Hæc in aliquot versiculis primis ante primam Thesim. Alia longum eßet tui candoris documenta numerare. Quadraginta quatuor in locis ab Autographo euariasti, & tamen hoc illud ipsum, quod mißum Iesuitis à tuis Ministris fuerat, immutare non erubescis ? Tibi ergo de Iesuitæ literis credam, qui in tuo scripto falsarius & impostor es ? O Caluinianam improbitatem. 6. Tu ipse fateris Epistolam hanc Iesuitæ, cum in manus tuas à patrono oblata fuißet,* cõfictum tibi aliquid, & partum suppositititium visum esse. *Nec temere tu quidem, aduertebas enim nihil extare eorum, quæ non supposititii partus habere solent. Non, quis: non, vnde: non, quando scripserit. Sed hæc est vestra Hæretici infelicitas, vt abiiciatis, quod prius benè credebatis, & amplectamini, quod posterius cum æternæ felicitatis dispendio creditis. Quis igitur fuit ille spiritus vertiginis, qui te à priori sententia tam cito deturbauit, vt dicas,* iam nullus dubito, quin istæ literæ sint geminus Iesuitici ingenii fœtus, Quia *inquis*, vbi mense Augusto Theses à Iesuitis missas aspexi, aduerti eas Thesibus, quæ in literis positæ sunt, in phrasi, paucis immutatis, respondere, *Tu Theses in Augusto à Iesuitis missas aspexisti ? in mendaciorum ergo aceruum coniicias, id quod ais*, ego quidem, quod male me habet tum temporis, cum *nimirum Ministri prouocarentur à Iesuitis* Lublini non fui. Tamen quas mihi causas detrectatæ concertationis viri pii, grauissimi, fideq; dignissimi bona fide retulerunt, eas expono. *Lynceis tu oculis es, quæ vltra montes & syluas sunt, vides. Sed esto, videris absens Impostor : qui literas fingebat, Theses à Iesuitis oblatas, in literas à se confictas inserere non potuit ? Dices. Literas à te visas in Iunio, Theses in Augusto, non poterant ergo in literas in Iunio natas, inseri Theses, quæ mense Augusto apparuerunt. Ego vero respondeo, vitium non eße, in argumentatione quo minus illi credi posit, eße tamen in argumetante, vt omninò credi illi non debeat. Potuisti enim in iudicio de Thesibus à Ministris opposito, aßerere te legiße, quod nunquam legisti, vt supra ostensum est : cur non eadem sinceritate aßerere posis, prius te legiße literas,*

quàm Theses, quamuis posterius legeris? Qui enim potest glutire camelum, potest & culicem. 7. Ei qui literas deferentis in curia amissas inuenit, & fracto sigillo aperuit, tribuis nomen Illustris & Magnifici patroni, cùm tamen vilis quispiam, & infimæ sortis homo fuerit: Illustres enim Personæ tam infami, quod alienas literas resignando contrahitur, delicto, nunquam nomen suum palam coram aliis fœdarent. Eodem igitur artificio, Relatori & impostori, qui literas finxit, Iesuitæ video nomen tributum. Sed sicut Diabolus, quamuis se in Angelum lucis trãsformet, Diabolus est: ita Caluinista, quamuis se Iesuitam mentiatur, Caluinista est.

Exposui Relator cur tibi hasce literas à Iesuita scriptas esse affirmanti, neq; debeam credere, neq; possim, etiam iuranti. Sed ne Relator mendax credatur, sic iurat, mentene an calamo tantùm, videt ille qui corda omnium scrutatur Deus, & periuris æterna supplicia parat. Cum enim Prædicans Caluinianus sis, vel Caluinista, parce mihi, etiam iurato tibi credere non audeo: & qui ne credam moneat, habeo præter ea quæ supra retuli, etiam eiusdem rei testem, non Papistam, Sebastianum Castallionem, lib. de calumnia cap. 15. edito Aresdorfi 1578, pag. 98. Hic editum à Caluiniano cœtu Decretalem libellum refert, in quo decernitur, vt in Ministris toleretur patienter. Vrbanitas scurrilis, adulatio, mendacium, obtrectatio, facetiæ, obscœnitas, fraus, auaritia, ioci, scommata, &c. De vniuerso autem Caluinistarum caprili differens, dummodo quis Ministros reuereatur, in eorum Catechismum iuret, Papismum auersetur, quantumuis, inquit, sit auarus, scurra, mendax, assentator, maledicus, gloriosus: &c. præsertim si Magistros colat, & sæpe conuiuiis excipiat, is fidelis, is electus, is Christi membrum habetur. Et addit: suspicabitur fortasis aliquis, me rem nimis exaggerare. Sed ego te ô æterna Dei filia veritas testor, hæc ita esse, & hæc me certò scire. En quantus vir de vestra Synagoga, sua Bibliorum versione plurimum meritus, Caluinistas Prædicantes obtrectationibus, fraudibus, mendaciis, innutritos, iuratus asserit. Parce igitur mihi, Prædicans es, etiam iuranti tibi credere, monitus ab alio iurato, non possum.

Ne tamen nihil omnino tibi concedam. Duo iurasti Relator. Vnum est, te exemplar Epistolæ Iesuiticæ à te vulgatæ nihil addendo, aut detrahendo, ex Autographo tibi exhibito manu tua descripsisse. Sit sanè vt dicis, non peieraueris in hac parte. Alterum quod iurasti est, Autographum illud ipsius Iesuitæ esse, & non ab alio, quam à Iesuita, illa omnia conscripta esse, quæ in Epistola Iesuitæ nomine à te edita

à te edita appellatur. Hic verò iurare possum, te Relator periurum esse. 1. Nullus Iesuita in regno hoc nouit P. Valerianum Iesuitam: nullus enim hactenus in toto hoc amplissimo Regno fuit Valerianus Iesuita, non dico ciuis & incola, sed ne quidem hospes, quomodo ergo hic tuus Epistolæ scriptor eũ nouit, & illius facit mẽtionem? 2. Nullus Iesuita subscribendo vtitur hoc vocabulo, vti tu Iesuitæ adscribis, Seruitor. Reclude Caluiniana libertate & fide, occlusas Iesuitarum Epistolas, Seruitorem in iis non leges. 3. Quilibet Iesuita nomen subscribit. Tuus sine nomine est. Dicis nomen tibi legibile non fuisse, credat qui vult. Sed quis tam inops mentis est, tibi vt credat? Tam longam, tam variam, legere potuisti Epistolam Iesuitæ, Iesuitæ nomen legere non potuisti? Literas saltem primas maiores, nominis & cognominis cognoscere & exprimere potuisses, si mendax non fuisses. 4. Iesuitæ dum literas scribunt, vnde & quando scripserint annotant: Tuus nihil horum facit. 5. Tuus sic habet: Me sacrosancto sacrificio R. V. commendo. Iesuitæ ita nunquam scribunt, sed. Me sacrosanctis R. V. sacrificiis & precibus plurimum vel diligenter, vel valde commendo. 6. Impostorem oles; etiã eam ob causam, quod vltimam Iesuitæ Thesim aliis non apposueris, in gratiam Socinianorum, à Iesuita vna cum reliquis scriptam. Nimirum ne ingeniosus & sagax Lector agnosceret, falsò eam Iesuitæ adscriptam Epistolam, in qua scribebat se cum Arianis nequaquam velle congredi, si videret adscriptam etiam contra Arrianos Thesim, vna cum aliis, Caluinianæ potissimum fidei oppositis Thesibus. Rectè enim hinc quiuis prudens ita ratiocinari posset: Ille qui Epistolam scripsit, disputare cum Arrianis noluit: sed Iesuita qui cum Arrianis disputauit, voluit disputare & disputauit, ergo ille Iesuita non est hic, qui illam Epistolam scripsit. Thesis autem à te auulsa talis fuit. Infinita & æterna Dei natura, non est solius Dei Patris propria, sed etiã in vero & Vnigenito Filio eius, non minus quam in Patre eius reperitur. Qui Filius, propter humani generis redemptionem morte perficiendam, naturam humanam sibi Hypostaticè vniuit, & ita homo factus est: ob eandemq; Numero cum Patre, diuinitatem, Patri æqualis, diuinoq; honore non minus quàm Pater dignus est. 7. Deniq; verba illa, meam non vidi, quæ tu in Autographo legisse te iurasti, certissimè scio, & sacrosanctè asseuero, à Iesuita scripta non esse, quod quomodo asserere audeam docebo capite sequenti. Fateor tamen locutiones illas: Si ea erit voluntas Superiorum, quàm e-

go non

go non quæram, ne videar plus sapere quàm oportet. *Item.* Pu to R. P. Prouincialem non fore contrarium. *Et* : Potest illi, *P. Prouinciali* mittere has meas literas, quia cum illo ego procedo syncerè, non erubescam coram illo, quòd ita scribam. *Has inquã agnosco, ad formam locutionum, quibus plerumq; Societatis IESV homines in scribendo vtuntur, factas esse. Vnde impostorem, qui hanc Epistolam commentus est, aliquas Iesuitarum literas, ad quarum exemplum se fingeret, interceptas habuisse necesse est, vt ita bonis quibusdam & vsitatis Iesuitarum scribendi formulis intertextis, suis mendaciis fidem conciliaret. Habent enim hoc hæretici proprium inquit S. Greg. l. 5. mor. cap.* 11. Vt malis bona permisceant, quatenus facile sensus audientis illudant: si enim semper praua dicerent, citius in sua prauitate cogniti quod vellent, minimè persuaderent. *Sanè ni grauem nobilis Familiæ è Silesia huc traslatæ notam & offensionem metuerem, non longè hinc dissitæ, indigitarem ego tibi, (si tu ipse non es) mendacem huius Epistolæ Architectum, qui cuidam è vestratibus olim, nũc in gremium Ecclesiæ Romanæ recepto, fateri non erubuit, se cuiusdam Iesuitæ imitatum esse Chyrographum, eiq; quiddam affinxisse, vt ea ratione suis potiri votis posset, & inflictum ab eius lingua, Caluinianæ fidei vulnus sanare. Sanè certò constat, eundem solitum Regum & Principum imitari Chyrographa, Priuilegiaq; comminisci, vnde mirum non est vestræ, quam ille profitebatur viuus, Fidei authoritate, licuisse illi & Iesuitis literas affingere. Parco mortuo homini, sed vt opinor, Tribunal Lublinense non parcet, & scelus simile, mendacissimi hominis, iusto Dei iudicio Lublini publico decreto prodet, vbi Iesuitarum sancta integritas, maligna vestra mente & calamo impetita est.*

De Relatoris in Epistolam Iesuitæ commentario.

CAPVT. IIII.

OPeræ pretium erit, Commentarium quoq; Relatoris, quo Epistolam Iesuitæ illustrandam sibi duxit, ad rationis trutinam expendere: tum ne petulans Prædicantis lingua, impune tam atrociter debacchata videatur: tum ne piorum fortasse quispiam, suspicione in malum promptior, locutionibus quas dixi ad modum scribendi Iesuitarum confictis, incautè deceptus, Prædicanti in Epistolam Iesuitæ vo-

suitæ vo-

ſuitæ veſanienti tacitus applaudat. Neq; inſolitum hoc. Nam & Dauid non hoſtes, ſed populum ſuum, & contribules ſuos indigitabat, cum diceret Pſal. 108. Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi. *Et in religioſè inſtituta Sancti Patriarchæ familia, vnum quod tenere à patre diligeretur, quodq; non maximum alioqui natu, gubernandæ paternæ familiæ cum poteſtate præficiendum, præſagia quædam promitterent, non ſatis fraternè à fratribus habitum legimus. Et vulgò iam notum, pulcherrimæ virtutis improbam comitem inuidiam additam. Quamobrem vt appareat, quàm ſuperbè in Commentario tuo à ratione excideris Relator: eſto, quod non eſt, Epiſtolam hanc à Ieſuita ſcriptam, quid in ea admiſſum flagitii, quod Prædicantium faſtidium deſpuat, aut liuor zeloſus arrodat? Relegere placet ſigillatim, in quæ te Caluinianus furor abripuit, omnia.*

1. *Thraſonicè exultantem fremis, & depromptis è Plauto (Prædicantium maior Catechiſmus is eſt) verſiculis Pyrgopolinicæ & Artotrogo componis. Apta nuncupandis, alioqui anonymis Prædicantibus vocabula. Quam tu Relator ad amuſsim Pyrgopolonices? qui poſt carrecta denſo abditus in ſenticeto vix hiſcis: & tamen cordatè muſsitas: Amice, Io triumphe,* nullus dubitans quin cauſam noſtram contra Ieſuitas ſumus propugnaturi. *Et Grzybouius tunc ſi diuerſus à te eſt, quam ad viuum Artotrogus? Quippe cui cum ſuboluiſſet cœna, nullo infamiæ metu, nullis ſuorum damnis, ab ea ſe ad ſpirituales Verbi Dei eſcas auocari paſſus eſt. Sed en Thraſoniſmum ex tota Ieſuitica, vt tu ais, Epiſtola expreſſum. Dicit,* Si ea fuerit ſuperiorum voluntas ſuſcepturum ſe prouinciam diſputandi. *Sed de Verbo Dei, quod hæc materia fundamentum eſſet hæreſum huius temporis omnium.* In hac controuerſia *inquit*, Dei ope triumpharem, & vt ſpero cum omnium ſatisfactione, & ad ſtuporem (abſit verbo inuidia) operam meam non ſine magno fructu impenderem, vt niſi quis velit eſſe Lucifer obſtinatus, deberet cedere, & credere. *Addit*: Videbuntur hæc alicui ſapere fumos, ſed Deus videt cor meum, quod hic non ſit quidquam vanitatis & præſumptionis. Non mihi enim, ſed Deo, & ſanctæ Eccleſiæ veritati fido. *Hæc tota eſt quæ ſtomachum Relatori mouet, Thraſonica gloriatio. Non eſt cæcus apparet Relator hic, ſed videt, quod non eſt. Ego enim Catholicæ virtutis in his verbis expreſſum robur clarè video, præſumptionem Thraſonicam non video. Credis Relator ſcripturæ Sacræ? non dubito quin ſis dicturus, Credo. Age igitur obſecro*

te, quemad

te, quemadmodum ex Euangelico Epistolaris factus prodiisti, ita concipe, si potes, animo, te transformatum in illum hominem, quem scriptura ita describit, 1. Reg. 17. Egressus est vir spurius de castris Philistiim nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum, & palmi, & cassis ænea super caput eius, & lorica squāmata induebatur, & ocreas æneas habebat in cruribus, & clypeus æreus tegebat humeros eius, hastile autem hastæ eius erat quasi liciatorium texentium. *Hūc te paulisper cogita esse Relator, progressum in aciem non tantùm armigeri, sed ingentis exercitus præsidio, & armis retrò munitum. Prodeat verò adolescens quispiam vix tricubitalis, modesto & aspectabili vultu; sago præcinctus, & pedo pastorali duntaxat, fundaq; armatus: fixoq; contra te, & contra omnia millia armatorum, qui tibi adsint, pede, voce contenta intonet.* Venio ad te in nomine Domini exercituum, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadauera Philistiim hodie volatilibus cœli, & bestiis terræ. *Quid tu hic diceres Relator? Thrasonem arrogantem, præsumptuosum? equidem ea cognitione rerum, quam nunc præ tefers, imbutus, non diceres. Tu si Goliathum imitatus, staturæ, gladio, hastæ, cassidi, loricæ, clypeoq; confisus exprobrares agminibus Dei viuentis, merito Thraso audires, merito præsumptuosus. Catholicus vero quiuis auxilio dexteræ Omnipotentis innixus dicet.* In Deo meo transgrediar murum: *Dicet:* Nō timebo, quid faciet mihi homo. *Dicet:* Omnia possum in eo qui me confortat, *Thraso non erit. Sed ne in hoc tantum putato Iesuita, hanc animi in Deo inhærentis confidentiam mireris: accipe verum Iesuitam, B. Edmundum Campianum Martyrem, quem cum vestrates Caluinistæ inuidiosissimè criminarentur, quod vnus omnibus in Religionis negotio certamen obtulisset.* Ego *inquit*, Si fretus ingenio, literis, arte, lectione, memoria, peritissimum quenq; aduersariorum prouocaui, fui vanissimus & superbissimus, qui neq; me, neq; illos inspexerim; sin causam intuitus, existimaui, satis me valentem esse, qui docerem hunc solem meridie lucere, debetis mihi feruorem istum concedere, quem honor IESV CHRISTI Regis mei, & inuicta veritas imperarunt. Nam si hoc præstitero, cœlos esse, Diuos esse, fidem esse, Christum esse, causam obtinui. Hic ego non sim animosus? equidem occidi possum, superari non possum.

ſum. Iis enim Doctoribus inſiſto, quos ille ſpiritus erudiit, qui nec fallitur, nec vincitur. *Hæc inclitus Athleta. Thraſonem tu hunc quoq; Martyrem cum tuis inclamabis: ſed ringere licet, & crepa, quis te improbum probus moretur.*

2. Excæcatus *inquis*, Ieſuita Authadia, Philautia, & Kompaſmo: *inprimis* Socinianos Orthodoxis, *id eſt Caluiniſtis* anteponit. *Merito profecto illorum id facit. Sunt enim optimi malorum & Alpha, vos autem Beta peſsimorum. Libet videre quomodo anteponit.* Non ſuſciperem *ſcribit*, vllas Theſes contra Arianos. Ratio eſt. Quia hæc diſputatio deberet eſſe ad captum populi, & vulgi, & talis vt populo plauſibiliter perſuadeatur, vel ſcrupulus ſaltem, (*nempe ſeductis in Hæreſim*) in iiciatur. Hoc autem in Diſputatione (*publica*) cum talibus Arianis, quales modo ſunt, non aſsequerer; quia habent ſubtiliſsimas euaſiones, nunquam auditas, quæ ex ſcriptura ſola, non poſſunt reuinci ad captum populi, qui rudis eſt, & non poteſt ſtatim capere, quæ dicuntur in feruore diſputationis. Deinde error hic, non eſt tam communis, ideo putarem cum ſolis Caluiniſtis agendum. *Et infra.* U nas Audi-tor proſty, gruby, (o Haeretykach mowie) á tylko ſubtelny, ná zdrády y wykręty. *Hæc tuus Ieſuita. Anteponi video controuerſiam de ineffabili Myſterio Sanctiſsimæ Trinitatis, controuerſiis, quæ inſtitui ſolent de articulis fidei, à quibus Caluiniſtæ apoſtatarunt, quod illa ſublimior ſit, & ad captum rudis populi noſtrate idiomate, non tam facile explicari ex ſola ſcriptura poſsit. Hoc nemo intelligens negauerit. Cæterum ipſos Arianos ſapientiæ nomine vobis non anteponit,: nec debet: æque enim cæci ad intuendum veritatis lumen, æque ad intelligendum ſtupidi, & trunci, tàm illi, quàm vos eſtis: immo illi aliquanto etiam ſtupidiores, vtpote opinione ipſorum, non ſpirituales & immortales, ſed aſinis fere ſimiles, in coinquinatis corporibus animas ſortiti, poſt diſſolutionem à corpore dormituras. Demulſi te iam Relator, pergo.*

3. Etiam propriæ Societatis Coryphæum Bellarminum, & illa, Gregorium à Valentia, Gretſerum, Coſterum, in hac factione præcipua lumina infra ſe deiecit. *Ieſuita hoc ad Ieſuitam ſcribens? nimium auſus. Quæ vero deiectio hæc? Scribit:* Nullum argumentum acciperem ex Bellarmino, nullum ex Valentia, vel Gretſero.

sero. Lego putati Iesuitæ verba à Caluinianis illi adscripta, in verbis quod
Caluiniani videntur intendisse, deiectos infra hunc Iesuitam fictitium, Bellarmi-
nos, Valentias, Gretseros, non video. Non vult vti argumentis ex doctissimis
Cardinalis Bellarmini Tomis, aut Valentiæ, aut Gretscri scriptis desumptis. Ergo
illos infra se deiicit. O acumen Caluinianum! Quid enim opus est contra coaxan-
tes in Lublinensibus lacunis ranas, claua Herculis: aut hasta Achyllis, aut phare-
tra Hectoris? An putatis in diuinis armis instructissimo sacrarum scripturarum
armamentario, nulla inueniri amplius iacula, præter ea, quæ ab Illustrissimo Car-
dinali Bellarmino, à Gregorio de Valentia, à Costero, & Gretsero, sapientissimis
viris felicissime contra vos contorta sunt? Falleris Relator, si ita putas. Vt
enim post Sanctos antiquioris æui Patres, deprompserunt ex scriptùris Bellarmi-
nus, Costerus, Gretserus, & alii doctissimi plurima: sic post se reliquerunt sero ven-
turis nepotibus, depromenda alia atq; alia multa. Infinitus enim sapientiæ cœle-
stis Oceanus, quem Spiritus Sanctus nobis in scriptura sacra diffudit, exhauriri an-
gusta humanæ industriæ vola nequaquam potest. Disputator autem quilibet cau-
tus, non adfert in certamen disputationis ea rationum momenta, quæ multo ante
cognita aduersariis, & diu versata reuersataq; sint: sed noua si quæ habuerit &
inusitata. Quid enim aliud in causa fuit, quod in Ratisbonensi disputatione
Ministri Lutherani, ad pleraq; argumenta à Patre Gretsero proposita, ex scripto
antea confecto responderent, verbosaq; multiloquentia tempus extraherent? nisi
quod argumenta eiusmodi in Bellarmino, aut alibi lecta præuiderunt, vt pensicu-
latius nouis quæsitis euasionibus, vim eorum declinarent? Vnde si hoc tantùm
voluit significare Iesuita, quando à vobis instructus, vestra manu scripsit, dispu
tationem illam Patri Gretsero non ex animi sententia successisse, non euasit certe
summè arrogans, non quod vestris infartum verbis, summè arrogantem efforma-
re nolueritis, verùm quod non solum in verum, sed ne in fictum quidem à Calui-
nistis Iesuitam, Caluiniana arrogantia cadere possit. Non est mi Relator arrogan
tis dicere, quod si P. Gretserus, vti in omni genere doctrinæ est versatissimus, no
ua duntaxat (quæ sine dubio potuit) & à se in scripturis inuenta, nunquam antea
Ministris audita, rationum momenta in disputationem attulisset: non ita prom-
ptum fuisset Luteranis, solutiones eruere ingenio, vt promptum erat oculis inue-
nire in charta. Vnde sine dubio multò euidentius Hæretici fuissent confusi. Vi-
desne Relator, operam vos & oleum perdidisse, dum Iesuitam præsumptuosum
formare voluistis? Insta vlterius.

A. Ostendis

4. *Ostendit tuo iudicio hac Epistola sua tuus Iesuita, nullam inter eos in negotio Religionis concordiam esse.* Si enim disputaturus, *inquis*, Iesuita nihil vult sumere ex Bellarmino, à Valentia, Gretsero, Costero, qui sua ex Scriptura, Conciliis, Patribus, Ratione, probare conati sunt. Ergo aut illi delirarunt, & suis scriptis orbi imposuerunt: aut hic gloriosus miles mentis impos est. *Deliras tu Relator, & mentis verè impos es. Non intelligis eandem doctrinam diuersis rationibus probari posse. Diuinitatem Christi probauit ex scriptura doctissimè Bellarminus, probauit & Gregorius à Valentia, probauit contra Racouienses Socinianos multis iam accuratis editis disputationibus Martinus Smiglecius, probarunt & alii vestrates. Nunquid iisdem penitus scripturæ testimoniis, & eodem modo tractatis vsi? nunquid quod diuersa Scripturæ testimonia ad idem fidei dogma roborandum quæsierint, ideo inter se discordes? Tu video, & tecum, & cum veritate, & cum bonis omnibus insigniter discordas: & quid sit discordem esse non capis. Ita truncus es. Sed pergo.*

5. *Rationes quibus in Controuersiis Bellarminus vsus est, dicit Iesuita vester* że ſą ná terázniejsze mozgi bárzo słabe. *Hoc quoq; arrogantiæ tu adscriberes, ego non ausim, ideo enim hoc dicere potuit, quod varia iam Hæretici excogitarint effugia, in quæ constricti dilabantur. Sic Petrus Apostolus 2. Petr. 1. vocat* sermonem Propheticum firmiorem, *seu vt exponit Sanctus Augustinus Serm: 29. de verbis Apostoli, certiorem (quod etiam Græca vox* βεβαιότερος *significat) quàm fuerit audita ex nube, vox Dei Patris: quod scilicet Propheticus sermo, efficacior esset ad Iudæos conuincendos. Sic Christus ipse dicit,* testimonium *de se suum,* non esse verum *Ioan: 3, non quidem absolutè, sed respectu Iudæorum, qui eiusmodi testimonio non acquiescebant, sed variè illud eludebant, vt patet Ioan. 8. 13.*

6. *Si nullum, inquis, Iesuita vult habere adiutorem, eo quòd nullus sciat eius argumenta,* & alter iret Varsauiam, alter Leopolim, *quomodo ergo vno fundamento nituntur, quomodo vno spiritu reguntur? ô stipes quando edolaberis in Mercurium? iterum hic fustuario dignus es. Nescis vni argumento variis responsionibus satisfieri posse, & vnus vnam, quæ illi magis solida videretur, adferret solutionem, alter alteram, quam firmiorem crederet, nonne ambo ad vnum argumentum respondendo, & in vnius doctrinæ, in qua consentiunt defensionem collimando, distarent ab inuicem, non in sententia quam tuerentur*

sed in mo-

sed in modo, quo eam tuerentur: & spiritus qui vtrumq; ad idem dogma, asserendum ageret, esset idem, quamuis via per quam vtrumq; ageret, non esset eadem. Sed crassus tu es Relator, nondum intelligis: accipe ergo exemplum tuo cerebro magis proportionatum. Sis tu vnus auriga & Grzybouius alter, nec infami officio mancipatum te existima, quod aurigandi munus tibi sit delatum. Eliam quoq; & Elisæum aurigas codex cœlestis vocat. Sitis igitur ambo aurigæ, & incidat vtriq; vestrum desiderium veniendi Lublino Cracouiam. Atq; vtinam compareatis in ea vrbe aliquando, cum plausu acciperemini à doctissimis Academicis æternâ memoria, hanc ob rem dignis. Ponamus autem, tibi melius videri iter per Sandomiriam, Grzybouio per Opatouiam, nonne eadem mens visendi Cracouiam ageret vtrmuque? nonne in finis intentione essetis concordes ambo? quamuis in eligenda ad eiusmodi terminum via, & ordinandis ad eundem finem mediis, essetis ab inuicem, & iudiciis, & voluntatibus diuisi. Quamuis enim Cracouiam terminum viæ, propositam haberetis ambo, tu tamen ires Sendomiriam, alter Opatouiam. Si ne hoc quidem aurigali exemplo quidquam apud te consequor Relator, iam ne aurigam te quidem idoneum iudicauero, sed ad subulcos amandandus eris.

7. Ex eo, quod in confictis Iesuitæ literis posueritis, omnia eius argumenta esse noua, antiquitatis suffragio minimè opus habentia: infers Iesuitam agnoscere debere, se suosq; in hac causa finibus antiquitatis depulsum. Et addis. Qua itaq; fronte prætextu antiquitatis, suis auditoribus illudunt? Video Relator, dum tecum negotium habeo, cum maligno me & stupido homine ne dicam cum pecude negotium habere. Malignus es: quia omnia hæc verba. (Si omnia eius argumenta noua, antiquitatis suffragio minime opus habentia) diuerso typo imprimi voluisti, tanquam verba ex Iesuitæ Epistola desumpta: cum tamen illa clausula antiquitatis suffragio minime opus habentia nunquam in Epistola Iesuitæ sint. Videris omnino illius Epistolæ, quam Iesuitæ inscripsisti, Author, ita in ea citanda, tuo arbitratu, verba & phrases fingis. Stupidus verò es, quod arbitreris eos, qui vetus alioqui dogma nouis adinuentis rationibus constabiliunt, antiquitatis hoc ipso finibus depulsos. Fore vniuersale Iudicium in fine mundi, non multo post conditum mundum generi humano diuinitus innotuit. Veritas hæc per multa sæcula non aliter probabatur posteris quam per traditionem. Missi postmodum Prophetæ eandem veritatem, scriptis vaticiniis testatam, mundo reliquerunt: num ob noua ex vaticinio Prophetarum eruta, quibus iudicium futurum hominibus probabatur, argumenta, iam

olim reuelata de vltimo iudicio veritas, finibus antiquitatis depulsa cessit, aut dogma nouum de iudicio professi, qui nouis illud testimoniis futurum asserebant? Capisne stolide Minister? Eadem ratione, Hæreticos esse arbores infructuosas, & quæ non nisi noxios fructus ferunt, iam pridem Ecclesia à Christo & Apostolis edocta credidit semper: nunquid hoc dogma ideo nouum erit, quod noua flagitia quæ ex Hæresi alia atq; alia quotidie pullulant, documenta sint vetustæ veritatis noua? Perperam igitur Relator ex eo, quod fictus à Caluinistis Iesuita argumenta promittat noua, infers Iesuitarum doctrinam finibus antiquitatis ad nouitiatum relegandam. Sicut neq; tui Collegæ vel Magistri, iudicio tuo destituti sunt antiquitatis suffragio, dum nouis argumentis, firmant suos errores.

8. *Pergit Relator, &,* O magnam, *exclamat,* vim veritatis quæ etiam à vaferrimo Iesuita extorserit, vt vltro confiteretur multa esse in libris Catholicorum non ad rem. *Mira me ad tuam istam Relator exclamationem exclamandi quoq; incessit voluntas, itaq; exclamo: O magnum cum magnis (sine commentario stupidus iste Caluinista non intelliget) id est cum asininis auriculis, sed inane cerebro Prædicantium caput! Primusnè hic à vobis elaboratus Iesuita hoc tibi secretum, vltro, nullis tormentis adactus, patefecit? Vidistisnè aliquem in scholastica Theologia, in iure Canonico, atq; adeò in ea Theologiæ parte, quæ circa mores, & conscientiæ tractationem versatur scriptorem, qui non aliorum Catholicorum & Doctorum opiniones refutet? quid autem prudens refutet, quod iudicat benè & ad rem dictum? An non legisti hoc idem, longo discursu, ex professo Gretserum, mundo confessum vniuerso? extat enim de hoc eodem argumento eius luculenta Appendix, Tom: 1. Defens. Contro: Bellar. ad finem lib: 1. vbi Pappum Lutheranum Prædicantem efficaciter docet, quam Catholicorum scriptorum dissensiones inter se, ab Hæreticorum discordiis diuersæ, & multis exemplis ostendit, inter sanctos quoq; viros, diuersitatem opinionum contigisse, errorem tamen Hæreticum in solis esse, qui ab Ecclesia discrepant, perduellibus. Certe præter Iesuitas, Indices Expurgatori varii, Sedis Apostolicæ auctoritate editi, dum in multis Catholicorum libris aliqua expungenda indicant, testes publici sunt, in Catholicorum libris inueniri nonnulla, quæ non sunt ad rem. Hæc te non vidisse quis miretur, hesternum lupæ catulum, in luporum antro editum, qui ne id quidem quod naso tangit, videre queat.*

9. Quæ de

9. *Quæ de successu Ratisbonensis disputationis ex Iesuitæ literis mastiest frendens Relator, Caluinistica sine dubio mendacia sunt. Constat enim quid Iesuitæ omnes, passim in suis scriptis, de disputatione illa Ratisbonensi sentiant. Sed ne Relator vel in hoc puncto, Iesuitam alioqui à suis fictum traducere possit, ostensum illi supra est, quid in illa Disputatione desiderari potuit. Si enim noua argumenta, quod non difficile doctissimo viro Gretsero & aliis præstare fuit, obiecta Ministris fuissent, ex scripto vt fecerunt, respondendi ad argumenta potestatem non habuissent, titubassent frequentius, conuicti fuissent sæpius, tam longas conciones non texuissent, non rarò silere coacti fuissent, vt aliquid saltem ad speciem promerent, quod nunquam auditis argumentis opponere possent.*

10. *Ne autem tibi Relator, quæ de Iesuitarum superbia, auaritia, totius mundi ambitione, conuitia euomis, credantur: cauit diligenter Caluinus in suis quas Caluinistis ad omnes mortales dedit commendatitiis literis. Ita enim ille de vobis in cap. 11. Danielis 24.* In exiguo illorum numero, qui sese ab Idololatriis Papatus subduxerunt, maior pars plena est perfidia & dolis: præclarum quidem zelum, simulant, si tamen intus excutias, reperies plenos esse fraudibus. *Ita de te tuus Pater? ita de Epistola per te Iesuitæ affictа: ita de tuo in eam Epistolam commentario. Audi verò quid scribat etiam Frater Musculus lib: de Prophetia Christi.* Si quis *inquit*, videre cupit magnam turbam nebulonum, atheorum, vsurariorum, & deceptorum, ei adeunda sit ciuitas aliqua, in qua Euangelium prædicatur, ibi cateruatim id genus hominеs inuenies. *Itaq; cum ad hos Relator pertineas, eiice prius trabem, quam tibi pater tuus & frater indicant, ex oculo tuo, vt possis deinde subuenire oculo alieno. Interim vt etiam ad conuitia tua, priusquam ea cogitasses tibi esse responsum à Iesuitis intelligas, lege Disceptationem, De secretis Societatis IESV P. Adami Contzen.*

11. *Inuadit ex fictis Iesuitæ literis Relator illa verba:* Meam non vidi, nec videbo nisi cras, & tabellarius discedit, ideo non possum eius nomine R. V. sed sub rati habitione possum salutare. *Hæc Relator commentario illustrat huiusmodi,* Vides, *inquit*, quamuis Iesuitæ castam & Angelicam in cælibatu vitam se ducere gloriantur, eos tamen habere suas Phrynas, Thaidas, Veneres, quibus si non castè, tamen cautè omnes inter se scortationum

conscii

conſcii abutuntur. *Hic ego tibi tria dicere habeo Relator. 1. Te impudentiſsimè impoſtorem eſſe, omni enim aſſeueratione, cum plurimis, alioqui non Ieſuitis, affirmare in quolibet tribunali ſum paratus, hæc quæ tu Ieſuitæ tribuis verba, à Ieſuita ſcripta non eſſe. Itaq; nomen tuum enuncia: vbi vbi fueris aggrediar te, & coram iudicio legitimo conuentum impoſturæ reũ clarè conuincam. Quia tamen Sacerdos ſum: deprecabor Iudices, vt non ad meam inſtantiam, ſed ex ſuo æquitatis amore in te tanquam famoſi libelli ſceleratum authorem, ſecundum leges animaduertant. 2. quod tibi dicam eſt, te vti craſsè & ſtupidè mentiri, ita ſtolidè & ruſticè conuitiari. Quomodo enim* cautè *admitti ſcelera à Ieſuitis ſcribis, cum aſſeras omnes eiuſmodi ſcelerum eſſe interſe conſcios? Furcifer, nebulo, vbi tibi vel mica cerebri?* Omnes conſcii, *& ſingulis propè annis, aliqui ab iis aut dimittuntur aut eiiciuntur, ſæpe Ieſuitis grauiſsimè offenſi, quãdoq; etiam ad veſtra caſtra tranſierunt, & tamen præter tuum mendax os, non inuentus ex iſtis alioqui malè de Societate contentis, vllus, qui ſe vel tacito nomine horum ſcelerum conſcium fateretur. 3. Deniq; dico, te maligno & verè Caluiniano animo eſſe. Eſto enim in aliquas alicuius Ieſuitæ literas ſeu tu, ſeu tuorum gregalium quiſpiam inciderit, inueneris in eis id quod tu legendum putaſti,* Meã *nunquid Euangelica doctrina permittebat, vt per eiuſmodi vocabulum aſſereres ſignificatam Phrynam, Thaidam, aut Venerem? Cur non potius intellexiſti ſignificatam Matrem, vt ſi quis ex ea ciuitate, in qua mater ipſius habitat, ſcripſiſſet: tanquam de nota perſona loquens, poſuiſſet,* Meam hodie non vidi: *id eſt Matrem aut certe Sororem, aut etiam Pænitentem, vt Catholici vocare ſolent, ſeu filiam ſpiritualem, ſi quæ Illuſtris perſona, & vulgo in eo loco præclarè nota. Sed tibi Phryne & Thais, & Venus ita occuparunt caput, vt præter iſtas nullas eſſe in mundo putes, de quibus homines cogitent aut ſcribant: Plenus nempe es noui veſtri Euangelii Apoſtolorum ſpiritu, qui in Caluino & Beza inſigniter efferbuit. Ille enim ob ſodomiticam Venerem tunc dum infauſta Synagogæ veſtræ poneret fundamenta ferro candenti liliatus: hic Audaberti nefandos amplexus & Candidulæ impura commercia toti mundo decantare non erubuit. Talis & tu Relator, ex obſcænorum coruorum excluſus ouo Corax, & talem te eſſe teſtatur Caluinus in Comment: 2. Petr: 2.* Vix, *inquit,* eorum decimus quiſque eſt, qui alio fine Euangelio, (*arrige Miniſter aures*) nomen dederit, quam vt ſolutius in omnem laſciuiam difflueret. *Tu Relator decimus, puto non es, qui alio fine prædicantem te finxeris, ſed aliquis ex*

nouem

nouem, qui vt solutius in omnem lasciuiam diffluas, ad Caluini Euangelium adnatâsti. Habes quidem præceptum Diuinum: ne fias sicut equus & mulus, sed video fædior multò euasisti, quam equus & mulus. Emissarius enim nonnisi ad aspectum equarum hinnit & furit, tu ad vestigia etiam sola. Legisti Meam, & subito Phrynas in ore & Veneres? O fustis cur feriaris. quales vos Caluinus vester esse iudicet, iam nosti. Sed quia in ea Synagoga estis, in qua confusio & tumultus, neq; vna tantum sonat vox, sed occurrunt Dæmonia Onocentauris, & pilosi clamant alter ad alterum, quàm Harmonicè Lutherus occinit Caluino, pilosus piloso; Monachus comatus, Canonico tonsuram Clericalem capillicio exterminanti, in nouorum Euangelicorum Encomiis. Sic enim ille in Postilla domestica Ienæ impressa Con: 2. Dominicæ I. aduent. Mundus, inquit, ex hac doctrina quotidie redditur deterior, iam homines singuli septenis Diabolis obsidentur, cum antea vnico tantum Diabolo obsessi fuissent: Diabolus iam cateruatim in homines ingreditur, vt nunc in tam splendida Euangelii luce sint auariores, callidiores, iniustiores, crudeliores, proteruiores, multo deniq; deteriores, quam prius in Papatu fuerint. Hirce agnoscisne tuorum Corydonum voces? num te delectat audire? audi igitur etiam Erasmum, qui vobis in versionibus Scripturæ, nouis quotidie excudendis, facem prætulit. Hic in Epist. ad fratres inferioris Germaniæ, ita vos commendat. Quis non iure miretur, hos nouos Euangelistas, non posse viuere sine vxoribus? & infra. Quæ malum est ista salacitas? vnde tanta carnis rebellio, in iis qui se iactant agi spiritu Christi &c. Sed riuos iam claudamus. Et quæ sit totius Caluiniani Equilis confessio audiamus: Aiunt Caluiniani in scuto fidei, nullum marem, fœminamue quinq; diebus continentem viuere posse. Et isti tam impuri, tam polluti, vllum apud homines honestati locum tribuant, vel iudicium de aliis forment, quod de se ipsis se non posse formare agnoscunt? Verùm consceleratam hominis nefarii verborum alienorum interpretationem, missam faciamus. Quia tamen nonnulla in literis Iesuitæ affictis Relator habet, quæ ostendunt literas eum aliquas Iesuitarum vidisse, ex quibus stylum Iesuitis familiarem imitaretur: et certum est in nullius vnquam Iesuitæ literis, vllum legisse talem loquendi modum, vt etiam de matre, aut sorore intelligens scripserit quis: Meam non vidi, non addito matris, aut sororis, aut alio aliquo nomine, inde venit

in mentem suspicari, ne fortè in literas alicuius è Societate inciderit: qui ex aula Senatoria literas scribens adiecerit in fine Mcam id est Magnificam hodie non vidi. Sic enim hoc nomen plerumq; compendio abbreuiatum scribi solet. Maiusculæ, M. *tribus literis,* cam, *supernè adnexis: & sæpe fit, vt dum currenti calamo, litera literæ, ductis lineolarum fibulis nectitur, & quasi concatenatur, litera,* c, *videatur scripta ad instar literæ* e. *quod lippientibus ebrietate, & incontinentia Prædicans oculis non aduertens, vbi legere debuit* Mcam, *id est* Magnificā hodie non vidi, *legit,* Meam. *Ita huic, sua semper, sua in mente est Venus, etiam dum aliena, Venereis oculis legit, purè & sanctè scripta.*

12. *Ad extremum vota concipit Relator Prædicans, &* vtinam *inquit,* Iesuitæ veritatem in iniustitia non detineant, sed candidè in negotio salutis cum plebe agant. *Heus Prædicans, oras tu aliquid, video, sed vt orando impetres, audi consilium meum. Congregamini, quotquot in Regno Poloniæ estis Prædicantes in vnum omnes: & induti saccos, aspersis cinere capitibus, expeditis in terga flagris, itote supplicabundi Compostellam in Hispaniam. Dicite vos Prædicantes Caluinianos esse pro Iesuitarum conuersione precari Deum. Promitto vobis, quod antequam inde in Poloniam redeatis, futurum sit, vt* Iesuitæ veritatem in iniustitia non detineant, & cum plebe in negotio salutis candide agant. *O quam optanda est hæc Prædicantium processio Poloniæ Regno! ô quam fælix Regnum si ad eam Prædicantes omnes quamprimum expediat? Et merentur. Candide enim, quod Iesuitas nolle facere queruntur, prædicant se generi hominum perniciosos esse. Ita de se suiq; similibus, Andreas Musculus lib. de Nouis: die.* Si fateri *inquit,* veritatem velimus, hoc de nobis Euangelicis testari cogimur, magis, quam nos, scortationibus, vsuris, circumuentionibus, fraudibus deditos, in toto mundo nusquam inueniri. *Et Lib: de Prophetia Christi.* Verum cogor dicere, *inquit,* quod verum est, contumaciores homines, in quorum animis omnes virtutis omnis, & honestatis scintillæ sint extinctæ, & apud quos nihil iam pro peccato habeatur, nusquam, nec apud Ethnicos, Iudæos, Turcas, inueniri, quam inter Euangelicos, apud quos omnino vinculis solutus, & liber viget Diabolus. *Sed audi Relator, vnum è vestratibus recentiorem, Ioannem Buchenhagium in 1. lib. Reg. c. 4, ita scribentem.* Confidimus, *inquit,* in arca, ad opera dico; licet non

Papistica,

Papistica, tamen ad opera, putantes nos in hoc Christianos, quod baptizamur Germanice, sumimus Eucharistiam sub vtraque specie, comedimus carnes diebus ieiuniorum, Clerici ducimus vxores, contemnimus ceremonias, cæterum nos ipsi nihil habemus fidei aut charitatis. &c. *En quales Regno administrando Hæresis destinat Senatores, quales tuendæ Patriæ Caluiniänum Euangelium format Equites, quales ornandæ Reipublicæ secta ista gignit Ciues? Et tales doctrinæ Magistri, vnde tantum scelerum & malorum in genus hominum inuehitur, ferendi? vincula, virgas, secures, furcas, flammam, maledicis, furibus, adulteris, homicidis, latronibus, blasphemis coercendis, & lex diuina & Respub. omnis parat, Prædicantibus castigandis, ne relegatio quidem in florentissimum Hispaniarum Regnum decernenda? cum tam palam toti mundo testatum esse voluerint, se Dei leges, rapinas, adulteria, homicidia, fraudes, & alia scelera prohibentes, neque seruare neque seruare posse. Ita enim Caluinus lib: 2, Instit: c. 7. Sect: 5. & in Antid: Conc: Trid: Sess: 6. c. 12. Ita eius asseclæ alii, ita Christophorus Krainski in suo polonico Catechismo. Hæc de commentario Relatoris, quem super finctas à se, aut suis, Iesuitæ literas, plusquam biennali lucubratione, tandem confecit. Restat vt videamus quomodo suos Relator Arianis comparet.*

Quàm Prædicantes Caluinistæ contra Arianos & Socinistas propugnatores eximii.

CAPVT. V.

C*Laro magnorum Thrasonum sanguine editus est Relator Caluinista. Originem enim suam gens Caluina illi primo parenti debet,* qui fiduciam habet, quod Iordanis influat in os eius. *Hoc patre Cyclopigenæ illi, Lutherus, Caluinus, Beza, orti: aui Relatoris Epistolaris, proauique gigantes, dira olim, collecto ventosas in linguas fugacesque pedes Marte, cœlo bella minati: hoc vt se genere non degenerem Relator fœtum ostenderet, in vltimo suæ Relationis capite, attollit animos, & vetera suorum trophæa, in spatiis imaginariis passim erecta intuitus,* Nobis, *inquit,* vt cum IESVITIS, ita cum Socinianis congressus formidabilis nunquam fuit aut erit. *Hiulca oratio, exenterata veritate. Elegantius dixisses Relator: Iesuitis quemadmodum cum Prædicantibus*

cantibus Caluinistis, ita cum Socinistis congressus formidabilis nunquam fuit aut erit. Scitur enim, vnum Iesuitam, quotquot in regno Angliæ Prædicantes Caluinistæ eßent, in certamen prouocâsse, & vinciri ab illis tyrannicè potuisse, vinci non potuisse. Idem alius ex omnibus Scotiæ Prædicantibus trophæum in carcere & vinculis, scripturæ testimoniis clarissimis, quibus eorum impietatem arguit, in lucem datis, erexit. In regno verò hoc, Prædicantes Caluinistas sæpius à Societatis Patribus ad disputandum prouocatos, comparere eadem animositate, qua Lublinenses non fuisse ausos: quotiescunq; autem congreßi eßent, siue vestri, siue Sociniani, semper victos & confusos, ex disputatione discessisse, manifestius est, quam vt probari debeat. Leuartouienses & Vilnenses disputationes, quas commemoras ante multos annos, à vestris Prædicantibus habitæ, libris editis vulgatæ, iacuisse toto hoc tempore, tum Leuartoniæ, tum Vilnæ, allisum ad terram, & conculcatum à Patribus Societatis Caluinismum testantur: nimium sero illi subsidio ades, & fractior est, quam vt vno eum verbulo erectum statuas, aut nihil damni passum aßeras. In Socinistas præclara tuorum facinora, quæ iactas, optarem, vera eßent. Ais Maiores Socinistarum, Christi maiestatis inimici non tantum solidis scriptis, sed & colloquiis de eodem argumento institutis, à nostris sæpius fusi & prostrati sunt. *Si Seruetum & Gentilem Socinistarum maiores intelligis, fusi illi & prostrati sunt à vestris, Caluino, & Heluetiis, sed solidis lignis succensis, non editis solidis libris, & ad ferrea collaria tracti, non ad colloquia inuitati. Et sanè Caluinistæ hæc vestro ingenio magis accommoda, contra Antichristos Racouienses argumenta: scriptione & alloquiis voce Caluina ad vlulatus Arrianos iam efformata, quomodo Racouiensem lernam exhydrare poßitis, non video. Tantundem enim ferè à Caluinistica impietate, quantum ab Arriana blasphemia Diuinitas Christi, demaiestata est. E Caluinis enim rictibus tartareæ illæ voces.* Christus secundum Diuinam essentiam Sacerdos, & Minister, *ac proinde etiam secundum Diuinam Essentiam Deo Patre minor.* Filius respectu personæ, non nisi impropriè Creator cœli & terræ: neq; eadem ratione dicendus Deus, qua Pater dicitur Deus: Maiestas Christo ad dexteram Patris ad tempus tantum permissa, venturum diem, quando Maiestate hac erit priuandus: Christus quoad Diuinam naturam Patri subiectus: *quæ & his similia habes apud Caluin: in admonit. ad Polonos, & lib. II. inst: c. 14. sect. 3. Philip. lib. contra Stancarum, & in Epist. ad*

Epist. ad Electorem Brandeburg. Bezam Epist. 28. Tigurinos Epist. ad Polonos anno 1560. & 61. Caluino tuo quem summum Doctorem nominas Doctore didicerunt Sociniani verbis illis. Ego & Pater vnum sumus, Christum homousion non conuinci, quia Caluin. in c. 10. Ioan. ait, abusos esse veteres hoc loco ad id probandum. Plura talia lege, apud Stancarũ contra Caluini Epist. à folio 69. ad folium 122, & Ægidium Hunnium Lutheranum in libro cui meritò hunc præfixit titulũ, Caluinus Iudaizans: qui quidem liber dignus est, vt Torunii & Gedani typis elegantissimis in Caluinianorum æternum dedecus recudatur. Eiusmodi vocibus impiis non prosternuntur Socinistæ, sed nutriuntur: non deiiciuntur, sed fulciuntur. Ideo mirum non est, è vobis tanquam ex infaustis seminibus Arianam repullulare impietatem: vos Caluinistas execranda metamorphosi conuerti in Socinianos. Caluinista erat Moscorouius, Caluinista Smalcius, Caluinista Ioannes Licinius, Caluinista Lubienieuius, Caluinista D. Sieninski, Caluinistæ alii, antequã ad Rakouiensem Arianismum seu Socinismum transiißent. Gratianum ais strenuè vrsiße Arianos Rakouiæ, cum D. Sieninski ad eos deficeret: non credo. Si enim eos vrsißet strenuè, non defecißet à Caluinismo. Experti igitur vestros contra Socinistas calamos non adeò felices, ad auita maiorum vestrorum argumenta, ferrum inquam & incendium recurrite. Habetis Smalcios, habetis Statorios, & similia Caluinismi excrementa, his eos abolete modis, his ad Caluinianum Euangelium reuocate. Hoc enim patibulari magisterio vestri Grzybouii, Zurouii, Iezierscii, Mysłouii, magis apti quam ministerio diuini verbi. Habuistis iam huius rei exemplar magnum vestrarum Ecclesiarum in Lithuania Superintendentem Stanislaum Sudrouium, qui à Leopoliensi patibulo & foro, in quo suspendio fures, gladio necabat maleficos, prouectus ad vestri Euangelii Cathedram, cum diu Caluinismum, & Vilnæ, & alibi seminaßet, tandem in Ariana impietate diem clausit extremum.

Omissa à Relatore R. P. Lancicii dicta vtroq; Disputationis die.

CAPVT. VI.

QVoniam tibi certò non constare ais, quid Iesuita Statorio Arrianorum Ministro responderit, imprudens te impostorem ac mendacem prodis. Quis enim credat, te, si tunc Lublini fuisti, vt ego opinor, vel si, vt tu scribis, absens à tu-

is Disputationis seriem cognouisti, non cognouisse simul, quod responsum Statorius retulerit à Iesuita? Sed esto, non cognoueris, aperi oculos & lege, tum ea quæ contra fraterculos tuos, tum quæ contra Socinianos, seu nouos Arrianos dicta sũt à R. P. Lancicio, primo & secundo Disputationis die. Ne autem mihi vitio vertas, si quid ex meo apposuero, apponam hic meliore, quam tu cùm tuis soleas, fide, Laconicè quidem, verè tamen ab vtraq; parte dicta: prout ab aliquot Notariis excepta sunt materna linguâ: in gratiam tuorum Pruthenorum ac Germanorum, ad verbum Latinè reddita.

Anno Dni. 1615. die 9. Augusti, post meridiem cum aliquot horis expectati Ministri Euangelici, non comparuissent, P. Iesuita primò Latinè, deinde Polonicè præfatus, primam Thesim suam ita confirmare cæpit, probans in Sacræ Scripturæ libris non contineri sufficienter, sine Traditionibus diuinis non scriptis omnia dogmata, ad fidem vitamq; rectè informandam spectantia. Primum exemplum dogmatis, non comprehensi in Libris Sacræ Scripturæ, qui erant ante Christi aduentum, attulit de Deo: de quo olim, vti & nunc, fide diuina credebatur, esse Spiritum nullis corporeis membris præditum, cùm tamen hoc dogma, sine Traditione non scripta, ex solis libris, qui ante Christi aduentum extabant, Ecclesia vetus discere non potuerit: imò nisi Traditio non scripta obstitisset, facile potuissent multi moueri illis libris scripturæ ad contrarium de Deo credendum, vti impiè credebant Audius vel Audæus, & Anthropomorphitæ, de quibus Epiphanius Hæresi 70. & Theodor. l. 4. Historiæ Eccles. c. 19. Siquidem libri Scripturæ veteris, tribuunt membra corporea Deo: caput & capillos Daniel: 7. v. 9. oculos, Psal. 10. v. 8. pupillam, Psal. 16. v. 8. aures, Psal. 5. v. 2. faciem, Gen. 3. v. 8. Exodi 33. v. 11. manus, Psal. 8. v. 7. gressum, Gen. 3. v. 8. vocem, ibidem, sessionem in throno, Isai. 6. v. 1. & alia membra actionesq; membrorum corporeorum proprias alibi, nec tamen vsquam docuit Scriptura vetus, hæc spiritualiter intelligenda esse: Scriptura autem post Christi aduentum docuit, Luc. 24. v. 39. Spiritum carnem & ossa non habere, solis ergo Scripturæ veteris testimoniis Iudæi inducti fuissent ad credendũ, ni Traditio obstitisset, Deum spiritum non esse, membris corporeis etsi immortalibus præditum esse: & tamen contrarium fide diuina credebant, ii qui hoc credebant: non omnia ergo à sola veteri scriptura edocti credebant: atq; ita Scriptura vetus ante Christi aduentum non omnia Fidei dogmata continebat.

Alterum exemplum attulit Iesuita, hoc ipsum probare volens, de omnibus libris Sacræ

bris Sacræ Scripturæ post Christi aduentum. Deum Patrem esse ingenitum, hoc est, nec à natura sua, nec ab vlla persona productum, tāquā dogma Fidei credunt Catholici sed & Iudæi, & Turcæ, & Hæretici, idem opinantur, hoc tamen dogma, ex solis libris Sacræ scripturæ haberi non potest, & ne per consequentiam quidem necessariam, ex illis deduci potest: non omnia ergo Fidei dogmata continet Sacra scriptura: immò nec omnia ex illa necessariò deduci possunt.

Contra hanc Catholicam Thesim, aduersarii duo præcipua argumenta adferūt. Primum ex 2. Tim. 3. vbi Sacra scriptura dicitur esse vtilis ad reddendum hominem perfectum, & ad omne bonum opus, & ad salutem instructum: vnde sequi videtur, scripturam sufficienter continere omnia ad fidem & mores spectantia.

Sed hoc argumentū nil valet. Concesso enim Antecedente, negatur cōsequētia Primo, quia non omne vtile ad aliquid consequendum, est sufficiens per se solum ad illud consequendum: vtilis est quiuis miles ad bellum feliciter peragendum, non est tamen per se, solus sufficiens ad hoc ipsum: vtilis est omnis aureus nummus ad emendum aliquem pagum, non tamen solus est sufficiens. Secundo etiamsi Apostolus appellasset non tantum vtilem, sed sufficientem scripturam ad reddendum hominem perfectum, & ad omne bonum opus instructum hinc non sequeretur scripturam per se solam ad hoc esse sufficientem. Sicut enim Scriptura dum sufficiens ab aduersariis appellatur, non excludit Christum, non Sacramenta, non fidem, non prædicationem Euangelii, non merita Christi: Similiter & passio Christi est sufficiens ad homines conuertendos, ad faciendos perfectos, ad saluandos, & tamen hinc non sequitur, non esse necessariam prædicationem Euangelii, viuam doctorum Ecclesiæ doctrinam, & alia multa, ita etiamsi Paulus appellasset scripturam, ad supra dicta sufficientem, hoc loquendi modo non necessariò excluderet Traditiones non scriptas, nec indicaret scripturam per se solam esse sufficientem. Sufficiens enim dici posset duas ob causas, primo quia quædam in se explicitè continet, secundo, quia quædam implicitè, nēpe quia commendat, Traditiones non scriptas, & viuam vocem, Ecclesiæ Doctorum, & ita hæc commendat, vt ea audire, & acceptare iubeat, tanquam infallibilē veritatem, & ex his reliqua discere, quæ ipsa per se expresse non docet, & ad quæ addiscenda propria principia non suppeditat.

Alterum argumentum Aduersariorum contra eandem Thesim Catholicam, sumitur ex Deut. 12. v. vlt. vbi dicitur. Quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam nec minuas. Sed & hoc argumentum nihil probat.

Primo

Primò *quia hæc Moysis verba ad Christianos non spectant, tum quia eodem* 12. *cap. Moyses iubet sacrificia legalia certo in loco offerre v.* 6. 11. 14, 27. *& ab esu carnis cum sanguine abstinere v.* 16. 23. 24. 27. *& omnes ceremonias legis veteris à se traditas seruare, quod Christianis non licet: tum quia si ad Christianos hæc Moysis verba spectarent, nondeberent baptismum & Eucharistiam suscipere, quia hæc Moyses non præcepit, qui eo loco illa tantum seruari voluit, quæ ipse præcepit.*

Secundò, *Moyses nec Iudæis quidem verbis illis vetuit omnem additionem, tum quia Prophetæ & Apostoli quædam à Moyse non tradita, Dei Ecclesiæ tradiderunt, contraria Moysis præceptis, Act.* 13. *v.* 38. *& c.* 15. *v.* 10. 28. *Gal.* 5. *v.*12. *Immo totam legem ceremonialem Moysis abrogatam esse declararunt, Hebr.* 7. *v.* 12. 18. *cap.* 8. *v. vlt. cap.* 9. *v.* 9. 10. *Quocirca nunc Iudæi non deberent acceptare legem Christi, & ceremonias Mosaicas repudiare, si per Moysem loco citato, omnis additio vetita fuisset. Sicut ergo non obstante hac prohibitione Moysis, licuit & Prophetis & Apostolis, addere nouas doctrinas, quia id Dei iussu fecerunt, ita licuit addere nouas doctrinas sola viua voce, quia hoc quoq; Dei iussu fecerunt, vt ostendetur dum dabitur occasio in disputatione..*

Tertiò, *Moyses triplicem additionem ad scripturam vetat.* Primo, *ritus ethnicorum idololatrarum, vt patet ex v.* 2. 3.4. 30.31. Secundo, *vetat addi nouos ritus priuata inuentione ab Ecclesia non approbata inuentos v.* 8. Tertio, *vetat aliquid addi ad Dei præcepta, tanquam præceptum eius, cum non sit verè eius præceptum. Hoc autem Romana Ecclesia non facit,* Quartò, *Moyses eo loco non loquitur de sola scriptura, sed de præceptis, ait enim,* quod præcipio tibi, *quia ergo præcepta non solum scribendo, sed etiam viua voce à Moyse & Apostolis tradita sunt, etsi diceremus hæc verba Moysis, etiam ad Christianos spectare, non vetarent Traditiones, sed alias doctrinas à scriptura & Traditionibus non scriptis alienas, quales aduersarii in Romana Ecclesia non ostendent.*

His dictis P. Iesuita secundam & quartam thesim ita illustrare & confirmare cœpit. Sunt in S. scriptura multæ inter se pugnantes sententiæ, quæ ex sola Scriptura non possunt conciliari: vnde nisi accederet testimonium Ecclesiæ, per Traditiones non scriptas & Spiritus S. perpetuam assistentiam edoctæ, certi esse non possemus, de veritate S. scripturæ: ideo benè S. Augustinus ait. Euangelio non crederem nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret authoritas, *con. epi: Fund: c.* 5. *Exempla talium contradictionum, hæc modò sufficient.* 2. *Rai*

ant. 2. Reg: 24. v. 9: Inuenta sunt de Israel octingenta millia virorum: At de eodem populo aliter habetur, 1. Paral: 21. v. 5. nimirum ex Israel fuisse mille millia & centum millia virorum.

Item 2. Reg. cit. de Iuda dicuntur fuisse quingenta millia pugnatorum: At 1. Paral: cit: quadringenta septuaginta millai.

Item 2. Reg: 24. v. 13. Fames septem annorum offertur Dauidi à Gad Propheta: At 1. Paral: 21. v. 12. dicitur ab eodem Propheta esse ei oblata eadem occasione, eodemq; tempore, fames trium annorum.

Item, eodem 2. Reg: 24. v. 24. Dauid emit aream & boues argenti siclis quinquaginta: At 1. Paral: 21. v. 25. Dauid pro area sola (nam boum non fit mentio) dicitur dedisse, non argenti, sed auri, idq; iustissimi ponderis siclos, non quinquaginta, sed sexcentos. Et quidem hæ in vno solo capite pugnantes sententiæ: concilient eas Ministri ex sola Scriptura. Nunquam facient.

Item, 3. Reg: 8. v. 9. In arca non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ: At Hebr: 9. v. 4. præter duas tabulas dicitur fuisse, & vrna aurea habens manna, & virga Aaron.

Item, Act: 7. v. 16. Hemor vocatur filius Sichem: At Iosue vlt: v. 32. idem Hemor, eiusdem Sichem, appellatur pater.

Item, Act: 13. v. 21. Saul dicitur regnasse annis quadraginta. At 1. Reg: 13. v. 1. duobus annis regnasse dicitur. Cum ergo aduersarii ob minores contradictiones, (quas notant in morte Antiochi) inter libri 1. Machab. caput sextum v. 8. 16. & libri 2. Caput primum v. 16. & cap. 9. v. 27. & alias similes, (quas adfert & soluit Bellarminus & Serrarius) negent libros Machabæorum esse S. Scripturæ libros: permulti alii certi S. Scripturæ libri, possent à maleuolis reiici, propter maiores, quas continent contradictiones. Quod ne fiat, obstat viua vox Ecclesiæ Catholicæ, per Traditiones non scriptas, & per Spiritum S. edoctæ, iubentis nos subdere intellectum in obsequium fidei, etiamsi quædam ex sola S. Scriptura hauriri non possint nec solui tali modo, quali volunt aduersarii à nobis ostendi in Scriptura, omnia illa dogmata, quæ appellant Antichristiana: Necessariò ergo, (vt omittam alias causas) admittendæ sunt, non Scriptæ Traditiones, & viua vox Ecclesiæ, sine qua nec ipsa S. Scriptura certam apud omnes haberet fidem.

Deinde primam, tertiam & quartam thesim P. Iesuita iterum confirmare cœpit, his exemplis. Ecclesia Israelitica procul dubio per Traditionem non scriptā edocta, (nam ex sola S. Scriptura id discere non potuit, sed potius contrarium, vt iam

vt iam iam apparebit) optimo Rege Ezechia proponente, communi consilio decreuit, vt populus Pascha celebraret mense secundo, 2.*Paral.* 30.*v.*2. *quamuis ex Dei præcepto, lato Exo.* 12. *v.* 2. *Leuit.*23.*v.* 5. *& Numer* 28.*v.* 16. *non secundo, sed primo mense, teneretur illud celebrare. Et hæc lex ab illa Ecclesia lata, appellatur v.*12. Verbum Domini : *quamuis & sine expresso Dei præcepto, & quidem quodammodo contraria aliis Dei præceptis, vt ostensum est, lata fuerit.*

Item *eadem Ecclesia edocta à Traditione non scriptâ, dispensauit in legibus Diuinis positiuis, quando permisit.* 2. *Paral.* 30. *v.* 17. *vt Leuitæ, qui Sacerdotes non erant, immolarent, contra legem datam, Leu:* 1. *v.* 5. *Sic Cap.*29.*v.*34. *iidem detraxerunt pelles holocaustorum : quod ad Sacerdotes spectabat, Leu.* 1.6. *Qua tamen re Dei ministerium dicitur esse expletum, & lætatus Ezechias. v. vl.*

Item *eadem Ecclesia per Traditionem non scriptam edocta addidit septem dies festos,* 2. *Paral:* 30. *v.* 23. *ad alios septem antea à Deo præscriptos Leu:* 23. *v.* 6. 7. *Nec tamen deliquit contra illud præceptum Deut.* 12. *positum.* Nec addas quicquam: *immo Deo placuit : Nam v. vlt. dicitur, exaudita eße populi illius oratio, quam in illis* 7. *festis diebus à Deo non præceptis, ab Ecclesia additis, ad Dominum fudit. Et Ezechias qui harum rerum occasio fuit, & quodammodo author, Dei præcepta in his rebus non est transgressus, vti apparet ex* 4. *Reg.* 18. *v.* 3. 6. 7. *Fecitq́, Ezechias quod erat bonum coram Domino, adhæsit Domino & non recessit à vestigiis eius, fecitq́, mandata eius, quæ præceperat Dominus Moysi, vnde & erat Dominus cum eo, & in cunctis ad quæ procedebat, sapienter se agebat. Simili ergo modo approbandæ sunt dispensationes & leges Romanæ Ecclesiæ, & ceremoniæ ab ea institutæ, quamuis non sint in S. Scriptura expreßæ. Non est enim minor dignitas, & potestas Ecclesiæ Christi, quàm fuerit Ecclesiæ Mosaicæ, immo maior: quia illa est filiorum, hæc fuit seruorum: illa est libera, hæc ancilla, Gal.* 4. *v.* 1. 2.31. *præsertim cum vox Ecclesiæ sit vox ipsius Dei. Luc.* 10.*v.*16. *etiam dum statuit leges sine Dei Præcepto immediato. Act:* 15.*v.*28.1.*Cor* 7.*v.*12.*&* 40. *collato cum* 2. *Cor.*5. *v.*20.*Rom.* 15.*v.* 18. *Ministris Euangelicis non comparentibus, è templo discessum est pacificè.*

Die 10. Augusti *comparuerunt disputatores à D. Sieninski adducti Statorius cum duobus aliis hinc inde illi assistentibus, præfatione præmissa in loco inferiore, ascenderunt theatrum, ex opposito theatri P. Iesuitæ. Statorius volens tueri theses Euangelicis Ministris, oppositas, tanquam cum sua quoq; Confessione*

communes,

communes, in prima thesi notauit, quod non bona esset, eo quod Euangelici non dicerent in scriptura plenè & in particulari contineri omnia. P. Iesuita legit ex Vitackero qui ex sensu suæ Ecclesiæ habet æquiualentia verba, verbis in sua thesi positis: ait enim sic, in Controu. 1. de S. Scriptura qu. 6: Cap. 6. Dicimus inquit omnia quæ necessaria sunt, siue ad fidem, siue ad vitam spectent, apertè & abundè in scripturis explicari. Post hæc Statorius quærebat, quæ sint istæ Traditiones non scriptæ, præter Scripturam admittendæ, forte de cultu imaginum, vt Deus depingatur cum barba cana! Iesuita respondit, Deum rectè ita depingi in Ecclesia Catholica, quemadmodum depingitur à S. scriptura Dan: 7. v. 9. Capillos habens quasi lanam mundam. Tum Statorius argumentari cœpit, contra dogma præterito die commemoratū: Quod scilicet hoc dogma, Deum Patrem esse ingenitum, & non productum, ex Scriptura probari posit. Qui inquit est æternus, est ingenitus: Deus Pater est æternus: Ergo Deus Pater est ingenitus. Iesuita. Nego Maiorem. Statorius Qui est æternus, nullum habet ante se, à quo producatur vel generetur. Ergo qui est æternus, est ingenitus. Iesuita Etiamsi non habeat ante se priorem duratione, vllū à quo generetur, potest habere coæternum à quo generetur. Nam Verbum Dei Patris pro nobis incarnatum, in sententia Catholica, & Lutheranorum & Caluinistarum, contra quos data opera attuli heri hoc argumentum, est æternum, Patri coæternum, & tamen ab æterno, à Deo Patre est genitum. Potest ergo esse aliquid æternum, & tamen genitum. Statorius, Nullus sanæ mentis poterit sibi persuadere, vt id quod æternum est, esse posit genitum. Iesuita Euangelici hoc sibi persuadent, qui credunt secundam Trinitatis personam esse æternam, & tamen esse genitam. Idem credunt Catholici, idem Lutherani idem Rutheni & tota Græca Ecclesia. Deinde si mundus esset æternus, vti voluit Aristoteles, sol quoq; esset æternus, vti æternum fuisse credidit Philosophus, & tamen lux à sole procedens, sine qua sol nunquam esse potest, esset ei coæterna, & tamen ab eo esset genita & producta. Non repugnat ergo esse coæternum, & nihilominus esse genitum. Statorius. Qui generat, debet esse prius, quàm genitus, ergo qui nullum habet se priorem, genitus esse non potest. Iesuita. Qui generat, debet esse prius quam genitus, non necessariò duratione, sed origine. duratione autem, potest esse simul & generans & genitus. Statorius. Ostende hoc ex scriptura. Iesuita Scriptura dum Genesis 1. Solis creationem recenset, simul indicat, eum fuisse lucidum: Sol ergo non fuit prius duratione vel tempore, quam lux eius, prius tamen fuit origine

rigine, quàm lux eius, quia lux eius : ab eo orta & producta est :Potest ergo aliquid esse simul duratione cum alio, sed prius origine illo. Statorius,*cum aliud non adferret, iußus est. & ab Euangelicis & à Præside disputationis D. Palatino Podoliæ, consentiente D. Sienienski aliud aggredi, quia dicebant eum non probare, quod contra Iesuitam intendebat.*Statorius *thesim vltimam sic impugnauit.Qui nescit diem iudicii, Deus æternus non est : Christus nescit diem iudicii: Ergo: &c.* Iesuita. *Qui omnino nescit diem iudicii, Deus non est : sed Christus nescit omnino diem iudicii, nego.* Statorius. *Hoc testatur S. Marcus cap.* 13. De die autem illo vel hora, nemo scit, neq; Angeli in cœlo, neq; Filius, nisi Pater. Iesuita. *Christus in quantum homo, nescit diem iudicii, idq; non absolutè, sed certo quodam modo : scit tamen in quãtum Deus.* Statorius. *Petis principium.* Iesuita. *Non peto.* Statorius. *Teneo te hic.* Iesuita. *Non tenes. quia ita explico hunc locum Marci, sicut vos explicatis, scilicet de Christi humana natura : bene ergo explico : & non potestis id negare, nisi velitis negare & vestram explicationem.* Statorius.*Marcus dicit de Christi persona, ergo totus Christus nescit diem iudicii.* Iesuita. *dicit de Christo non secundum omnia quæ in eo erant, sed tantum secundum naturam humanam, idq; vt dixi non absolute, sed certo quodam modo : hoc est: diem iudicii non sciuit eo fine vt hominibus manifestaret. Nam sibi soli Pater reseruauerat, diem illum aliis manifestare. Simili sensu Christus reprobis in die iudicii dicet Mat.* 7. Nunquam noui vos : *non quod absolutè non nouerit, sed quia non nouit eos tanquam præmio dignos : sic Psal:* 1. *dicitur.* Non resurgent impii in iudicio : *non absolutè, nam certum est omnes resurrecturos, sed quia non resurgent ad gloriam.*Statorius, *vnde habes de sola Christi humana natura ibi Marcum loqui.* Iesuita. *Habeo tũ ex vestra sententia, qui de sola Christi humana natura id interpretamini, tum ex textu ipso antecedenti, in quo de Christo vt homine sermo fuit, quo modo vos docetis erui verum Scripturæ sensum. Nam v.*26. *dicitur Filium hominis venturum in nubibus ad iudicium. Filius autem hominis, Christum hominem significat. Quando ergo v.* 32. *additur nec filium scire hunc diem, sensus est, cum vt est filius hominis, in tali natura in qua se manifestaturus est iudex omnium scilicet humana visibili, non scire illum diem eo fine vt manifestaret aliis. Alioqui absolutè diem iudicii sciri à Christo certum est.* Scit enim omnia *Ioan.* 16. *v.* 30. 31. *& cap:* 21. *v.* 17. *quinimmò* in eo erant omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. *Colos:* 2. *v.* 3. *quis autem nescit in thesauro scien-*

tiæ Dei

tiæ Dei fuiße etiam notitiam diei iudicii? Statorius, *vox,* omnia, *in Scriptura non semper significat absolutè omnia & sine exceptione.* Iesuita. *Hoc verum est, sed his locis, vt patet ex circumstantiis & antecedentibus ac consequentibus, voces,* omnia nosti, *quæ Christo tribuuntur, necessariò requirunt, vt Christo omnium prorsus rerum absoluta cognitio tribuatur. D. Palatinus præses, dixit Statorio, bene esse à R. P. responsum, si quid ergo haberet amplius, adferret* Statorius *ait bene eße concionatum Patrem Iesuitam. D. Gorayski assurrexit & Statorium reprehendere cæpit, quasi male sua probantem: statimq; finita disputatio est. D. Sienienski dixit, & suum Ministrum bene disputasse, & Patrem Iesuitam bene respondiße. Et ita ex templo discessimus.*

De imposturis Relatoris in citandis SS. Patribus.

CAPVT. VII.

C*Itant quandoq; Hæretici Sanctos Patres sed eo modo quem Leontius Byzantinus in præfat. lib. 1. cont. Nest: & Eutych. commemorat,* vt graui auctoritate personarum, suam impietatem celent, & viam sibi muniant ad oppugnandam veritatem. *Hoc fecit & iste Relator, iusto Dei iudicio permißus etiã in citandis SS. Patribus se impostorem atq; mendacem prodere, vt omnibus appareret clariùs mendax malæ fidei Relator ac impostor, in describenda Disputationis serie, Iesuitarum moribus, ac vniuersa Epistolari Relatione: qui & clarissimis Ecclesiæ Dei luminibus, Augustino & Irenæo, Caluinianorum errorum tenebras affingere non erubuit.*

Primo quidem vt Scripturam sufficere sine Traditionibus ostendat allato loco Gal. 1. v. 8. Licet Angelus de Cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus, anathema sit: hoc de Traditionibus non poße intelligi, probare conatur ex Aug: dicente: Si quis siue de Christo, siue de Ecclesia eius, siue de quacunque alia re, quæ pertinet ad fidem vitamq; nostram, aliud euangelizauerit, præterquam quod in Scripturis Legalibus & Euangelicis accepistis, anathema sit.

Sed ô vafrum & plenum dolo Prædicantis caput, manumq; stylo mendaci infamem. Certò enim agnouit Augustinus plura quam extent in Scriptura fidei ac morum dogmata: agnouit Traditiones Apostolicas, à Sacra Scriptura diuersas: agnouit & viuam vocem Ecclesiæ, nulli errori obnoxiam, æqualis cum ipsa Scriptura

authoritatis ac fidei, etiam dum aliqua docet credenda vel obseruanda, in S. Scriptura non comprehensa. Non credis? demonstrabo: sed quia non polles memoria, relege quæ in Augustino me demonstraturum promisi, & mente sobria (hoc est, non Caluiniana) singula eius verba pondera. Agnosces Papistam Augustinum, agnosces omnino in docendo Iesuitam. Aures arrige. Nam tract. 98. in Ioan. dictū Pauli ad Gal. 1. v. 8. non de sola Scriptura explicat: Non ait Apostolus, plusquam accepistis, sed præter quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipse præiudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, vt suppleret, quæ illorum fidei defuerunt: (*1. Tess. 3. v. 10.*) sed qui supplet, quod minus erat, addit: non quod inerat, tollit. *Nota Relator. ADDIT: & disce ab Augustino duo: primò addita esse quædam Scripturæ viua voce à Paulo tanquam supplementa illius: Secundò non esse præter Scrpturam, omne id, quod est plusquam Scriptura. Sed audi clarius adhuc contra te intonantem, Traditionum non scriptarum assertorem S. Doctorē.* Consuetudinem *non rebaptizandi ab Hæreticis baptizatos, inquit idem, To. 7. lib. 2. de Bapt: con. Donat. cap. 7.* Credo ex Apostolica Traditione venientem: sicut multa non inueniuntur in literis eorum, neque in Conciliis posterorum, & tamen quia custodiuntur per vniuersam Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita & commendata creduntur. *Vis plura? Audi.* Multa quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc *Nota istam causalem*, ob hoc, *& Ecclesiæ authoritatē venerare*, ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur, *sic Aug: loc. cit. lib: 5. cap. 23. quid poterat à Iesuitis dici clarius, pro Traditionibus non scriptis, pro insufficientia Scripturæ? Sed & hoc lege, & linguam mendacem ac stylum fræna.* Quamuis huius rei, *inquit idem li. 1. cont. Crescon. cap. 33.* certè de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum, etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas: vt quoniam S. Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, *Nota hostis Ecclesiæ,* huius obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate S. Scriptura demonstrat. *Ne autem erres in inuenienda ista Ecclesia, nulli in docendo errori obnoxia, docet te, non aliam esse, quàm Romanam*

nam: statim enim subdit, Ecclesiam quæ per omnes gentes, numerositate copiosissima dilatatur, *Nota impostor, & crepa,* hæc S. Scriptura commendat. *Exolui promissi fidem Relator, teq; mendacem ac impostorem, tuos errores S. Doctori affingentem, ostendi. Sed & in S. Irenæo citando, contra non scriptas Traditiones, mendax & impostor es fraudulentus. Nam Irenæus lib: 3. (non 1. vt tu malè citas) cap. 2. disertis verbis agnoscit non scriptas Apostolicas Traditiones, à Scriptura diuersas: easq; ab Hæreticis, quemadmodum vobis in more est, repudiari solitas asserit:* cum *inquit,* ad eam Traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum, in Ecclesiis custoditur, prouocamus eos, *vti & vos Caluinistas prouocamus,* aduersantur Traditioni. *Et paulò post sic concludit.* Euenit itaq; neq; Scripturis iam neq; Traditioni consentire eos. *Viden impostor S. Irenæum agnoscere non scriptas Traditiones, à Scriptura diuersas, ad Hæreticos confutandos olim adduci, ab iisq;, vti & vos nunc facitis, repudiari solitas. Contra te itaq; tuum retorqueo argumentum sextum. Quod Hæreticorum fuit proprium, illud in se Catholici, & qui pro Euangelicis haberi volunt, deriuare non debent: Atqui teste S. Irenæo , Hæreticorum fuit proprium, reiicere Apostolicas Traditiones à Scriptura diuersas, per successiones presbyterorum in Ecclesia custoditas: ergo id in se Catholici & Euangelici deriuare non debent: Sed vos Caluinistæ deriuatis: ergo Catholici non estis, Euangelici non estis, Hæretici estis. Carpit quidem Irenæus loc: cit: Hæreticos eorumq; Traditiones sed à nobis & à nostris prorsus discrepantes. Illi enim, quod nos non facimus, & ipsam S. Scripturam reiiciebant, & se ipsos Apostolis anteponendo, eorum Traditiones respuebant, alias vero priuato spiritu adinuentas, & Scripturæ & Ecclesiasticæ doctrinæ contrarias sectabantur. Sicut autem Canonicis Scripturæ libris, confictì ab Hæreticis libri, sacro Scripturæ nomine palliati non obfuerũt, sic veras & Apostolicas Traditiones vocare in dubium non debent, doctrinæ priuatæ, glorioso Traditionum titulo exornatæ , à vestris Maioribus spiritu hæretico adinuentæ .*

Agnouisti te vt opinor, Relator, in multis mendacem ac impostorem. Talem te & tui, dummodo vel micam sanæ mentis habeant, agnoscent, his quæ in tuorum gratiam, à me scripta sunt, lectis: & credent facile, te vel in confingenda vel in corrumpenda [...]itæ Epistola, falsarium fuisse ac impostorem: qui te in tàm exigua Relatione [...] tàm multis, vt ostendi, argumentis, demonstrasti mendacem. Vale, & si placet, hæc paucula, ad Prædicanticam petulantiam castigandam à me scripta, boni consule.